Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

X. K. VIII. A. 44.
Xx ind. 21

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

~~153 A 3~~
K.W. 343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

THEOD. I.F. GRASWINCKELI
J. C^ti DELPHENSIS

DISSERTATIO
DE
JURE PRÆCEDENTIÆ
INTER
Sereniſſimam VENETAM Rempubl.
& Sereniſs. SABAUDIÆ DUCEM;

Oppoſita Diſſertationi juſſu Sereniſſ. SABAUDIÆ DUCIS evulgatæ.

ib Constantÿ . 44



don. Autoris

LUGD. BATAVORUM.
Ex Officinâ Elzeviriorum.

cIɔ Iɔ c XLIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo
DOMINO
D. ALOYSIO CONTARENO,
Senatori VENETO, ad Potentiſſimos Orbis Chriſtiani Dynaſtas continuis Legationibus pro Sereniſſ. VENETORVM Republica glorioſiſſimè defuncto.

QVi ſummum in hoc mundo locum tuentur, totis in id viribus incumbant ac nitantur eſt neceſſe, ut cum ſupremi nominis juxta ac numinis decus mortalibus repræſentent, quem ſui ordinis authorem, ac vindicem agnoſcunt, cui ſe uni ſubjectos ferunt, eundem conſtanter imitentur. Dominantium dominator Deus, (quod illum profeſſi novimus,) non magis nos qualis ſit ac quantus edoctos cupit; quam debitum ſibi decus, ho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

nores ſuos, gloriam ſuam, nulli ſe velle cedi, nec & ulli ceſſurum. Hinc eſt, ut quæ in aſſerendis prærogativis divinitus conceſſis ſcripta verſantur, & ſummarum poteſtatum ſummum jus defendunt, etiam Deum pro ſe habeant, & Pietatem, &, pro qua ſumma ratio ſemper facit, Religionem, totamque Juſtitiam: patrocinia ſane quibuſvis patrociniis majora. Id ipſum me de laboris inſtitutique mei reddenda ratione, reddit ſecurum. Cur quodcumque hoc eſt opellæ, Illuſtriſſimo nomini tuo dicatum voluerim, nemo requiret, qui fateri ſe ſcit debere, ut-ut tot Neſtores, tot æternæ Venetorum rei Atlantes, tot Marcios Senatores, Procuratores, Principes,

Duces,

Duces, Heroas Contarenos, tota chiliade, quodque excurrit annorum, Te priores eſſe agnoſcat, Te tamen Pietate, Virtute, Meritis, in Patriam affectu ac fide, nulli eorum decedere vel tantillum. Niſi quid ſolitam, vereque tuam, modeſtiam eamus exceptum. Eſt ea talis ac tanta, ut vel ſponte recuſes illos poſtponi, qui te veram in virtutem ac viriles animos excitarunt. His ipſis, cum ſic decedis, evadis major: illorum ſtatuas erigendo, tuas attollis. Vale.

Illuſtriſſimo nomini Tuo Dicatiſſimus

THEOD. GRASWINCKEL.

Hagæ ipſis Nonis Martiis
cIↄ Iↄ CXLIV.

AD

LECTOREM.

QVO defenſa nitent meliori fulgida cultu
Pilea & in Veneto ſtat Duce ſalvus honos,
En, hoc Oratore ſuam Reſpublica ſedem
Aſſerit, & Reges aſpicit alta pares.
It ſoliis auguſta comes. Tot ducta per annos
Vna vetuſtatis filia grandis ovat.
Vindicat hoc ſibi jure ſuo. Tamen una Sabaudo
Lis placet, & litis ſemina Cyprus habet,
Cyprigenæ domus & Dominam profeſſa Dionen
Inſula: quæ ſi vis præſide vera loqui,
Dic mecum, GRASWINCKELIO ſcriptore, diſertè
Pro Veneto fatur nunc Venus ipſa Duce.

C. BOYVS, J. Ctus.

INDEX

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

INDEX
CAPITUM.

Cap. I.

Ingreſſus operis. Adulatio ſolenne aularum vitium & pernicies, debilitat nervum gerendarum rerum, qui ſui & ſuarum virium agnitio. Ejus ſpecimen Liber Sabaudicus. Votum autoris. De autore Sabaudici tractatus ſuſpicio. Ille, quicumque ſit, in Venetos Sabaudo Duce majores potentioreſque ſubinde inclementior. 1

II. *Autor Sabaudici tractatus ab ipſis titulis exorditur. Titulus I. C. quid, quid autori Sabaudici tractatus. Ejuſdem ſublatis ambiguis mens ac propoſitum. Antitheſis formatur, & ordo noſtræ ſcriptionis definitur.* 7

III. *Nuda rerum nomina ad ſubſtantiam earum nihil conferunt. Rerum ipſarum momenta æſtimanda, quod breviter ratione probatum ac legibus.* 11

IV. *Plinii Secundi & Baldi I. C. locus explicatus. Coſmi Medicæi verbum. Majeſtas & nobilitas non confundenda. Majeſtas nullo tempore indiget ad firmandum jus ſuum; dum naſcitur abſolvitur. Regnum Saulis & Davidis in Iſrael non precarium regnum. Ad Majeſtatem nihil confert nobilitas. Singularis benignitas numinis in ſummas poteſtates. Ejus eſt dare Majeſtatem & Regem vel ex ſterquilinio ſuſcitaſſe. Nobilitas in momento oculi non naſcitur. Cæſaris Tiberii dictum.* 14

V. *Tituli Sabaudici à Comitibus vallis Mauriana petendi. Sabaudiæ Dux intra ſexennium demum Sereniſſimum nomen à Cæſare adeptus eſt. Saxonum gentis gloria. Ab ea Sabaudiæ Duces oriundos qui vult, probet. Magni id ipſum in hac controverſia momenti. At interim parum cordate ab adverſario tractatum. Ludovicus Chieſa & Georgius Fabricius Chemnicenſis in eodem argumento ſe exercuerunt eadem de cauſa non feliciore eventu.* 21

VI. *Odioſa & imprudens domus Sabaudicæ cum omnium Europæorum Principum familiis contentio à Monodo facta. Sabaudica*

dica

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

dicæ incrementa alienæ beneficentiæ multum debent. Sereniſſ. Venetorum Reipublicæ antiqua libertas, ejuſque æqua à primis initiis ad hæc uſque tempora dignatio. Scopus Autoris quaſi poſſeßionem regalium titulorum Sabaudiæ Duci tribuentis. Quaſi poſſeßio quid & quatenus valeat. Aliæ probationes ad poſſeßionem vel quaſi, aliæ in petitorio requiruntur, neque à quaſi poſſeßione ad proprietatem procedit argumentum. Quaſi poſſeßio Sabaudiæ Ducis nulla eſt, quippe quæ titulo deſtituatur. 27

VII. P. Damiani locus quo abutitur adverſarius, in manus ſumitur. Regnum & Regis vocabula data etiam illis, qui regnum proprie dictum, ſeu regale Imperium, non haberent: etiam regulis majori Regi ſubjectis. 38

VIII. Verba ex Petri Damiani epiſtola, quæ præcipue urgentur ſingulatim excutiuntur. Adelhaidis Marchioniſſa dicitur, & ad id dignitatis genus cætera nomina debent reſtringi. Excellentißimus non ſemper regius titulus, ſed cujuſvis eminentis pro ratione appoſiti. Mira contorſio verborum Damiani ab adverſario facta. Regiæ, Entheæ, divinæ indolis quempiam dici Regem aut Deum non facit. 46

IX. Adelhaidem à P. Damiano vocari Duciſſam & Marchioniſſam, item potentiam ejus celebrari non reſpectu Comitatus Sabaudici, ſed Marchionatus Saluciarum & tractus Pedemontani, & ut ſocrum Imperatoris. Vera etiam cauſa indicatur, cur regiæ indolis Adelhaidis filios dixerit. 52

X. Oſtenditur, ſi maxime concedatur adverſario, filios Adelhaidis fuiſſe regiæ indolis, item Sabaudicam domum à Saxonia deſcendere, tum non debere nimis curioſe in vetuſta illa inquiri; nondum tamen titulos regios Sabaudis Ducibus deberi probatum. De antiquitate quæ ad nobilitatem requiritur, non ad Majeſtatem, iterum diſſertatum. Reſpondetur ad loca quibus evincere vult adverſarius, Excellentißimi titulum regium illis temporibus fuiſſe. 57

XI. Excellentißimi titulum Sabaudo tributum ab Eugenio IV. & Innocentio VIII. Pontificibus, non æquare illum Regibus. Vera cauſa, cur uterque hoc uſus ſit, indicatur. 65

XII. Nobilißimi qui dicerentur ſub poſterioribus Imperatoribus. Quod Petrus Cluniacenſis Sabaudiæ Ducem nobilißimum vocat, non æquat eum Regibus, multo minus jure eum regio donat. Epiſtola ejuſdem Cluniacenſis excutitur, & levitas illius teſtis oſtenditur. 71

XIII. De Illuſtrißimi titulo diſceptatum. Diverſo jure diverſiſque qualitatibus eundem poſſe cenſeri. Seßionum ambitus in concilio Baſileenſi. Illuſtris, Superilluſtris, Illuſtrißimus, diſcreti tituli. Sabaudiæ Comites Duces Chabliſii & Augu-

ſtæ;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſtæ; eoque Illuſtriſſimi. Illuſtriſſimi titulus quibus à I. Ctis Baldo, Iaſone, aliis tributus. 80

XIV. *Confuſio titulorum ævi ſemipriſci. Emanueli Palæologo quid cauſæ fuerit, ut ſublimioribus titulis Sabaudiæ Ducem honoraret. Non potuit Sabaudiæ Ducem ſupra Angliæ Regem efferre etſi illi ampliores titulos tribueret. Cantacuzeni, Inſtiniani Imperatorum, Baldi verba vindicata. Sereniſſimi titulus ab Eugenio Papa Sabaudo datus. Eugenii circa Baſileenſe concilium ſtatus.* 90

XV. *Sereniſſima Venetorum Reſpublica Sabaudo Duci Regales titulos non dedit. Majeſtas Liberarum Rerumpublicarum. Veneti quare Ducem ſuum Sublimitatis potius & Serenitatis titulis compellari voluerint, quam Majeſtatis.* 106

XVI. *Magnum Hetruriæ Ducem non dediſſe titulum Sereniſſimi Duci Sabaudiæ. Principes Italiæ Sabaudiæ Duci ſplendore titulorum minime cedunt. Lipomanni & Sanſovini teſtimonium rejectum.* 116

XVII. *Sabaudus κατ' ἐξοχὴν male Celſitudo Sua vocatur, recte ſi inter ſuos & à ſuis.* 122

XVIII. *De titulis qui in aula Hiſpanica & Gallica Sabaudiæ Duci tribuũtur late diſſeritur, & oſtenditur neutros Regales eſſe.* 124

XIX. *Franciſci Sanſovini autoritas refutata. Cognatio regia non confert Regios titulos. E Saxonica gente Principes deſcendunt plurimi, qui nec vindicare nec habere poſſunt Sereniſſimi titulum. Dux Sabaudus non eſt è gente Saxonum. Prærogativa Archiducum Auſtriæ. Maximiliani Imperatoris dictum.* 142

XX. *Vanitas adverſarii partim indignis, partim inæqualibus exemplis ambitionem Ducis Sabaudi ſtimulantis. Arragonum, Navarrorum, Luſitanorum jus Reges ſibi præficiendi. Coſmi Medicæi modeſtia, dum ad Ducatum ſuum in Regnum convertendum incitatur magis quam id deſiderat. Reipublicæ Venetæ Corona Regia. Regnum Cretæ.* 152

XXI. *Sabaudus Dux non habet Status Regales. Faſtus & ἀνιστορησία adverſarii, Allobroges falſo laudantis, Livium adulationis arguentis, Brennum non Gallorum, ſed Allobrogũm Ducem facientis. Vindicata non ſemel Polybii verba. Geſati, Galli antiquiſſimi non ſub abſolutis & proprie dictis Regibus. M. Iulius Cottius, Alpium Cottiarum Rex à Claudio primum dictus: quod regnum mox à Nerone in Provinciam redactum. Sabaudus Mercenarius ſub Venetorum ductu meruit. Sabaudia feudum Imperii.* 167

XXII. *Sabaudi Ducis jus ad Regnum Cypri diſcuſſum. Venetorum aſſertum Reſponſum ad locum Bagnaſſaſci I. C. Regnum Cyprium tributarium directum Dominum agnoſcebat olim Sultanum Ægypti. Ab eo excluſa ſucceſſio fœminea, quamdiu*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

mares vel nothi ſupereſſent. Iſq; Regem dixit Iacobum. Qui non modo inveſtitus eſt, poſſedit, tributum ſolvit: ſed & molitiones contra ſe Sabaudicas armis directi Domini evertit. Ejus hæres filius, atque hujus deficiente alia maſcula prole mater. Cujus ſucceſſores Veneti agniti tum à Sultano, tum à Turca, quibus ad centum annos penſionem annuam ſolverunt, donec nefaria vi ſunt ejecti. Sabaudus à Carolotta excluſa & jure deſtituta nullum jus habere poteſt, neque ſucceſſit ei, neque poſſedit, neque inveſtituram unquam petivit, unde directo Domino feudum aperuit, ſe ſi maxime jus habuiſſet indignum reddidit. Anteriores Sabaudi Duces neque jus hoc prætenderunt, neque ut prætenderent ab adulatoribus potuerunt perſuaderi. 187

XXIII. *Regum jus regna, quæ poſſident alii, in quibus ſucceſſionem ſibi deberi contendunt, titulo retinentium. Vt & Eccleſiæ Patriarchatus, quos de facto non tenet, ſibi ſuo jure vindicantis. Id ad Sabaudum Ducem male applicari demonſtratur.* 213

XXIV. *Inepta adverſarii præmiſſis non probatis concluſio. Duces Sabaudiæ ſiquæ habuerunt regni Cyprii inſignia, de facto ſumpſerunt non de jure. Nec tamen coronam uſuparunt. Quare pars illorum non eſt argumentum vindicati Cyprii regni, cum & privati inſignia ejuſmodi ſæpe aſſumant. Honor Legatorum Regiorum apud Pontificem nec tribuitur nec competit Sabaudo. Tranſactio Carolottæ & Ludovici non potuit in præjudicium veri Domini jus transferre.* 217

XXV. *De inſtrumentis tranſactionis & donationis Carolottæ. Regnum Cypri non fuit feudum Francum. Feuda ad ſolos maſculos tranſmittuntur, niſi expreſſe pro hæredibus maſculis & fœmellis obtenta ſint. Excluſio fœminarum in ſucceſſione feudi excludit etiam omnes ex fœminis deſcendentes.* 224

XXVI. *Carolottam de facto jus quod in Cypri Regnum prætendebat ad Sabaudiæ Duces non tranſmiſiſſe, tum quod una cum Iacobo Sententiæ Iudicis ſe ſubmittendo ei præjudicavit, tum ex verbis tranſlationis eam conditionem ponentibus, quæ in Sabaudis Ducibus exſiſtere non potuit, varie demonſtratur.* 230

XXVII. *Caſtigata fraus adverſarii latens ſub ἀκυρολογίᾳ, cum Sabaudum Ducem jubet reaſſumere titulum Regalem, quem nunquam habuit. Scomma obliquum in Sereniſſ. Rempub. Venetam reprehenſum.* 240

XXVIII. *Æquitati quando contra ſolennia ſubveniendum. Nemo ſibi ipſe Iudex. Antiquarum & receptarum conſuetudinum jus. Novitas in præjudicium tertii excogitata receptam conſuetudinem loco movere nequit. In dignitatum titulis non minus quam in aliis rebus, non quid factum ſit, ſed quid fieri debuerit attendendum. Nemo tacendo videtur conſentire, ubi damnum ſuum vertitur.* 244

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

XXIX. *Impudens adverſarii adulatio, qua poſteros Amedæi Viridis nulli Principi, nulli Reipublicæ loco deceſſiſſe ait, detecta. Catalogus Sabaudiæ Ducum è Papyro Maſſono.* 252

XXX. *Bulla Benedicti Pontificis, qua jubet in Coronatione Papæ, ſi unus modo Rex adſit, Sabaudum à ſiniſtra frenum equi tenere, non æquat eum Regibus. Contradictio & incogitantia adverſarii. Ratio probabilis ritus iſtius. Fides adverſarii in allegandis autoribus verbiſque eorum incognitis nec productis ſuſpecta.* 258

XXXI. *Paridis de Graſſis, quem pro ſe allegat adverſarius, inſcitia & malignitas in ordine Ducibus aſſignando juxta meritum honoris. Dux Venetus, Mediolanenſis, Bavarus, Palatinus nunquam in ordine poſthabiti Sabaudo. Reſp. libera Regibus pares. Veneti Ducis reſpectus & conſideratio duplex.* 263

XXXII. *Palpus inſignis adverſarii modeſtiam vocantis, quod erat neceſſitas, in Sabaudiæ Ducibus. Mediolanenſis Ducis dignitas ante & Comites & Duces Sabaudos. Mendacium de Amedæo, precibus Imperatoris inducto, ut pateretur ſe Ducem creari.* 269

XXXIII. *Profeſſa adverſarii malignitas in Sereniſſ. Rempub. Venetam. Suppoſititia Lipomanni Venetorum Legati ad Sabaudiæ Ducem Oratio. Sabaudiæ Duces militando pro Sereniſſima Repub. non beneficium præſtiterunt aut auxilium ſociale, ſed operam locarunt mercenariam.* 277

XXXIV. *Triplex adverſarii mendacium in ornando Amedæo ſexto. Amedæus Inſulam Tenedon belli inter Venetos & Genuenſes cauſam non tenuit. Leges fœderis quo reconciliati bello ſublato Veneti & Genuenſes. Amedæus nulla Turcarum arma à Venetis prohibuit, nec ad Franciſci Carraræ factionem contra Venetos ſopiendam ſe interpoſuit.* 281

XXXV. *Amedæus* VIII. *primus Dux Sabaudiæ. Ineptiſſimum adverſarii argumentum præferentis Amedæum Reipub. Venetæ, quod in fœderis tabulis nomen ejus priore loco poſitum eſſet, refutatur. Actus unus non inducit poſſeſſionem. Venetorum humanitas in honorandis exteris jus ipſorum non tollit. Alia huc pertinentia. Mendacium novum de latis ab hoc Amedæo auxiliis ad recuperandam Brixiam. Amedæi cum Sigiſmundo Imperatore negociatio, & hujus animus in Sereniſſimam Rempublicam.* 289

XXXVI. *In fœdere quod à Venetis cum Ludovico renovatum eſt, prior ponitur Illuſtriſſimus Dux Venetorum. Sabaudorum Ducum merita in Venetos utpote conducta & pretio & præmiis compenſata ſunt. Venetorum μεγαλοψυχία Regis nomen, quod Duci eorum offerebat Fridericus Imperator, reſpuentium.* 301

XXXVII. Ver-

XXXVII. *Verba afficta Pio Secundo Pontifici & exemplum ejuſdem examinata. Pius II. Hiſtoriam ſui temporis inceptam non edidit. Argumenta adverſarii varie contra ipſum retorquentur.* 309

XXXVIII. *Reſponſum ad loca ex ephemeridibus Iacobi Bocardi & Lalagnii Toparchæ. Exemplum quo Legatus Venetus Anglico dextram, Sabaudus ſiniſtram licet invitus texerit. Maximiliani Cæſaris in hac controverſia deciſio pro Venetis, & inſigne de ea adverſarii mendacium in Concilii Lateranenſis deſcriptione. Cur Legatus Venetus Magnificus, Sabaudus dicatur Illuſtris: In eodem Concilio Legatus Sabaudicus Veneto, Mediolanenſi, Florentino poſtpoſitus.* 320

XXXIX. *Quo loca Paridis de Graßis ſub cenſuram revocata. In iis adverſarii mala fides, & varii errores detecti. Novum exemplum quo Venetus Legatus contra Sabaudicorum querimonias quaſi poſſeßionem Loci ſui in aula Pontificis tenuit. Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux Filius Divi Marci. Nec tamen hoc principium præcedentiæ Venetorum.* 329

XL. *Apoſtrophe adverſarii ad Italiæ Principes, ut ſecum in titulis Sereniſſ. Sabaudiæ Ducis augendis conſentiant, refutata.* 341

XLI. *Nova adverſarii malignitas in Principes Italos. Sfortia Romano Imperio exemptus. Honores à Cæſare Sabaudo collati nulla re æquant eum Reipublicæ. Alius Reipub. Venetæ, alius Ducis reſpectus. Cyprus Venetorum, rumpantur ut ilia Monodo. Cretæ magnitudo ac inepta exinde Imperii Veneti cum Ducatu Sabaudo contentio.* 346

THEOD.

THEOD. I. F. GRASVVINCKELI
J.C^ti DELPHENSIS

DISSERTATIO
DE
JURE PRÆCEDENTIÆ
INTER
Sereniſſimam VENETAM Rempub.
ET
Sereniſſimum SABAVDIÆ Ducem; oppoſita Diſſertationi juſſu Sereniſſ. SABAVDIÆ Ducis evulgatæ.

CAP. I.

Ingreſſus operis. Adulatio ſolenne aularum vitium & pernicies, debilitat nervum gerendarum rerum, qui ſui & ſuarum virium agnitio. Ejus ſpecimen Liber Sabaudicus. Votum autoris. De autore Sabaudici tractatus ſuſpicio. Ille, quicumque ſit, in Venetos Sabaudo Duce majores potentioreſque ſubinde inclementior.

INTER ultimas cauſas, quibus fatales imperiorum orbes accelerantur, non poſtremum obtinet locum adulatio; quæ dum privatam recipiat gratiam, publicum ſæpe exitium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

comparat, & incallidos circumvenit Principes: ut quos omnia poſſe & mereri fingit, denique trudat in præceps, inque noviſſimum det caſum. Rarum eſt ut aulæ ſplendorem non comitetur, nec cujuſquam tanta animi moderatio eſt, quam admiſſa ſemel non pulchra ſpecie aggrediatur, atque ad poſtremum expugnet. Cum enim ſapientibus quoque noviſſima exuatur ambitio, & nullum laudibus propriis dulcius acroama ſit generoſis auribus, quid miri, nihil eſſe tam arduum, nihil tam excelſum humanis viribus, quod non illa cœlo in terris æqua poteſtas de ſe cum favore credat? Quare plerumque ſimul ac ſemel hoc gemma venenum bibit, ſui primum obliviſcitur; ac vero metiri modulo publicam ſervitutem (quæ vera bene conſtituti Magiſtratus deſcriptio eſt) deſueſcit: mox quæ gratioſis vocibus falſo attribuebantur, vindicat, & invitos quoque bonos venire cogit in partem muneris nocituri. Hi vero cum malæ cauſæ robur accommodaverunt, immoderata ſpes ſubit & incredibilium cupido: quæ nec frenis coërcetur, & torrentis modo in abrupta provolvitur. Alexander Græcorum palpis corruptus olim conceperat cœleſtes honores, cum eos uſurparet: quodq; prius gratuitæ aſſentantium linguæ ſine animo ei tribuiſſent, id nunc non modo dici, ſed & credi, non linguis modo ſed & animis imperabat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Ab eo tempore magnus eſſe deſiit, quo Diis ſe æquavit: ab eo in victarum gentium mores degeneravit, & ſana conſilia iratus audivit, & convivia amicorum cædibus infamavit, & fidiſſimorum inſidiis petitus eſt, tandemq; cecidit, morte mendacia adulatorum faſſus. At vero ſi omnino potiri aula & ſtruere gratiam vellent illa ſervitutis decermina & palatiorum vibices, cur non aliis artibus aucupantur? cur non ſine dominorum ſuâque infamiâ potiùs, immo interitu? Cogitarēt magis monerentq;, quod pulchre ſapientes, invictum fore, qui in nullum certamen ſe demiſerit, cujus ipſemet in manu victoriam non habeat, cuivis mortalium à ſupremo chorago partes ſuas aſſignatas, non ergo majorem modulo noſtro perſonam induendam: quod ſi feceris, nec eam, quam indueris, decorè geras, & cui par ſis, negligas: prudenter finxiſſe veteres illud γνῶθι σεαυτὸν ceu ſacrum aliquod ancile & ſcutum ad vitæ rationes obeundas & obtegendas, cœlo fluxiſſe: quod qui non arripit una cum iis, quæ improvidè complexus eſt, patet, intectus impellitur, denique arietat & labitur. Ita magnitudo attollitur regnantium, ſi ſe ipſam non excedat: & hæc duratura gratia eſt, quæ tuetur illum apud quem paratur, non quæ utrumque mergit. Atque hoc ſi veritas & honeſti amor impetrare à depravatis mentibus non quirent, reſpicerent modò tot exempla

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſuarum actionum, quæ vetus & nova ſuppeditat hiſtoria: unde promptum cognoſcere, nunquam aliud talium hominum fuiſſe præmium, quam ſeram in ſcelerum fine, quæ pœna eſt, pœnitentiam. Verum enimvero perpetuam mundus hiſtrioniam exercet, eademque fabula mutatis actoribus in orbem redit; apparet nunc quoq; modis quamplurimis potentiorem libidinem eſſe rectis conſiliis, & eos etiam qui meliora ſciunt, quæ ad tempus utiliora ſibi perſuaſerint, ſequi deteriora. Habemus prælustre documentum (ne abeamus longius) in autore libelli Sabaudici, ante paucolos annos in lucem editi: qui contendit Sabaudiæ Duci titulos deberi regales. De quo libro quid ſentiendum ſit ſine fraude judicantibus, parcam expromere, quia tota hæc diſſertatio perpetuum quoddam de eo judicium futurum eſt. Neque enim ita conclamatum oportet exiſtimare de moribus, ut cum ubique theatrum ſuum aſſentatio explicet, & in fumis vendendis negotioſam ſeſe monſtret, eo perventum credamus, uti deſit qui liberam mittat vocem, & evagantes hujuſmodi rationis deſertores in ordinem cogat. Quare nec verebor, nequis verecundiam noſtram tardos progreſſus habuiſſe cauſetur, qui conſtituimus ſtultos inque præjudicium veritatis cum aliorum injuriis & mala tractatione conſtructos palpos redarguere, & interea anniti,
ne

ne in quemquam vel publicè, vel privatim injurii, aut ipſi credamur, aut ſimus. Ut autem ultro nullique obnoxii hanc jamdudum imploratam recto ordini opem adferimus: ita precamur à Deo immortali, ut hoc quidquid eſt laboris, animo, quo cœptum, exhaurire liceat; extra ſpem metumque invidiæ poſitis, de cætero famæ, cujus nec oſtentatores unquam fuimus, nec incurioſi audire cupimus, ſecuris. Autorem hujus tractatus ſollicitè perquirere & ſpiculis velut ſcrutari non eſt opus, cum ſufficiat nobis, quod ſcriptum ſit inſpicere, quicunque tandem ſcripſerit. Quamquam non inficier evenire perſæpe, ut luminibus veri nomen officiat ſcribentis, quippe ſpectata virtus præjudicio gravat, & deterret contradicturos potentia: ſic illius autoritatem, quæ abſque hoc foret, aut rerum pondere aut ſui nominis momento valeret præſtaretque, audacia evertit. Nos hæc quæcumque ſunt, procul habemus. Si Sereniſſ. Sabaudiæ Ducis mandato ſcriptum hoc publicatum eſt, ſi proinde regulæ locus eſt, qua docemur, eſſe noſtra, quibus autoritatem noſtram impartimur, ſcio, cedet haud gravatim tantum nomen rationi, & ſiquid antehac ingenioſæ ad excogitandum ſimulationi credidit, ut hujus ipſius artes operaque retractata fere exoleſcunt, ita inſita mentis firmitudine ei fidem abrogabit: ſcio, veritati ſuper omnia

potentia faſces ſubmittit. Huic ſervire libertas eſt, eſt regnare: at obſtrigillare ne hominis quidem. Principem taceo, quem fama, mentiri neſcia, jamdudum ab ingentibus animi ac fortunę dotibus, orbi terrarum commendat. Sin R. P. Petrus Menodus Societ. Jeſu, autor & editor eſt, bene habet; fecit quod officium putavit, aut putare voluit haberi, fecit ex animo, quem Sabaudicæ magnitudini ſacratiſſimum quæcunque ab illo ſcripta feruntur, abunde produnt. Quem tamen aliis potuiſſet modis oſtentare, quam calumniis & detrectatione illorum quos Domino ſuo & potiores & majores novit. Venetorum Rempublicam deſigno. Quorum in quæſitiſſimum jus & innumerabilibus publicis præconiis ſancitas virtutes inclementius deſævit, quam ab eo aut privatæ, quam profitetur, inſtituto, aut pro leni verborum flumine, quo in legentium animos ſenſus ſuos derivat, ac mellita ſermonis dulcedine velut ſoporatos inducere ſtudet, expectemus. Sectæ, credo, id vitium eſt, quæ de quibus male meruit, & quos legum ſuarum etiam in ulciſcendo obſervantiſſimos ſentit, ſolenni hominum affectu odit: & dolorem, quum vis & robur deeſt, in verborum effundit aculeos. Quo tum ſibi tum Principi ſuo, magnam invidiam contraxit, & nihil aliud lucratus eſt quam ut inveniret citius, qui non modo iſtas

retunderet injurias, ſed fucos quoque cæteros involucris ſuis evolveret atque detegeret. Verum ne præfatio ipſum excedat opus, in rem, age, veniamus præſentem, & ea cura adverſarium aggrediamur, ne ipſe intactum quid aut inexcuſſum nos reliquiſſe cauſſari poſſit.

CAP. II.

Autor Sabaudici tractatus ab ipſis titulis exorditur. Titulus I. C. quid, quid autori Sabaudici tractatus. Ejuſdem ſublatis ambiguis mens ac propoſitum. Antitheſis formatur, & ordo noſtræ ſcriptionis definitur.

VT igitur regalia omnia Sabaudiæ Ducibus deberi adverſarius evincat, ab ipſis titulis initium facit, & eos antiquiſſimos in domo ſeu gente Sabaudica reperiri contendit. Tolerabilius meo judicio ſimpliciter antiquos dixiſſet, vel venerandos ipſa antiquitate aut aliquid his vicinum; ſi enim comparatione ad cæteros inſtituta tueri parat, eos re verâ ac de facto antiquiſſimos eſſe, ut ne ab omni manu vapulet, nimis metuo. Cæterum ſuper his, quid unicuique ſuarum partium ſit, illi viderint, qui ſuâ intereſſe putabunt: ego ſicubi res poſtulare videbitur, ſaltem Reipublicæ Venetæ intuitu hæc tam univerſaliter edici ac prædicari non potuiſſe, nullo negocio oſtendam. Interim hoc pauliſper ſepoſito, videamus, quid in jure ſit Titulus, quove ſigni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſicatu ab adverſario hic loci uſurpetur; plenius ac planius remotis ambiguitatum ſalebris diſſertaturi. Eſt ergo Titulus, per quem indicatur aliqua poſſidendi legitima cauſa, ſufficiens ad adipiſcendum dominium in re ſive naturali ſive civili. Ex quo (verbis utar diſertiſſimi Romuli Nepotum) quamquam hoc videbitur fortaſſe cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, immo J. C^tos^ noſtros, qui ſtudiosè exquirunt, unde verba ſint ducta, credamuſque titulum dici à tuendo, quod rei cujuslibet veritatem indicando tueatur jus autoris. Ita ut rectè vocare poſſimus Titulum juſtificandę poſſeſſionis cauſam ſive formam, cujus beneficio poſſeſſionem ſuam unuſquiſque tuetur ac defendit ab aliorum inſultu. Exempli gratia: Movet mihi tertius ſuper poſſeſſione mea controverſiam, ſi emiſſe me, ſi hæreditate cepiſſe repono, vel alio quovis modo, per quem vel naturali vel gentium, vel civico jure dominia rerum adipiſcimur, conſecutum me dico; jam cauſa iſtiuſmodi vel formula in jure probata titulus mihi erit, meaſque res mihi tuebitur. Adverſarius cum ait antiquiſſimos in domo Sabauda titulos reperiri titulorum voce nomina deſignat honorum ac dignitatum prærogativas exprimentia. Fidem ejus rei vel me tacente fecerit, quod totius hujus capitis contextus occupetur circa titulos Regibus ſolis tribui

ſuetos,

ſuetos, atque ut ait, non minus Sabaudis quam ipſiſimet Regibus à multis retro ſæculis attributos, ac proinde eiſdem deinceps attribuendos. Sed vero nemo tam demiſſi animi crediderit Sabaudos Duces, ut alienæ famæ incubantes atque aliena jactitantes pro Junone nubem amplecti velint, & inania titulorum conſectari; perinde ut ſolent, qui regnandi vi ac poteſtate deſtituti ſunt, his pupis ſe delectare. Non ſic & nobis notus Vlyſſes inceſſu dubio vultuq;. Altius hic ſubeſt aliquid, quam ut fugitivo oculo pervideatur. Hoc agit igitur, primò ut tot titulorum ſerie in principiis prætenſa fidem in reliquis ſibi præſtruat, eorum ſimplicitati ſuaviter impoſiturus, quibus omne quod non ſolito ſplendore oculos percellit, aurum putatur, quibus omne ludicrum in pretio eſt: ſecundo ut evincat vi, efficacia, atque intuitu regalium ejuſmodi titulorum Duci ſuo longe maxima deberi. Quæ ſint illa, quæris? ediſſeram. Vult deberi, vult omni jure (ſuamet verba haud gravatim agnoſcet) deberi regium nomen, locum à Regibus ſecundum, regium diadema, regni inſignia. Legatos ad hæc à Duce miſſos vult iiſdem ſolemnium ritibus excipiendos, quo Legatos Regum Principumque, quos vocamus primi gradus. Nequid deſit, contendit eos Romana in aulâ (utpote cæterarum primiceria) haud alio loco mandatorum ſummam expo-

nere debere, quam in atrio Regali, illuſtriori videlicet palatio & præcipuæ dignationis, cui quod neminem præter Regum ſummorumque Principum legatos iſthic fas eſt audiri, id nomen impoſitum eſt. Vt abſolvam, vult una cum titulis iſtiuſmodi (& hæc ipſiſſima ejus verba ſunt) deberi Sabaudo Duci omnes & ſingulas prærogativas, quæ tales titulos in ſummâ Majeſtate aut excipiunt, aut comitantur: Omnia largè quidem & ſatis acutè, ſed inutiliter: quum tam longi titulorum elenchi dominandi vires longius jacere aut proferre, ſi ipſæ non adſint, minime potis ſint. Quare ſi ingenua libertate ficum ficũ, ſcapham ſcapham appellitare licet, (& quis prohibebit?) nihil niſi ſpes extendit, nec unis modo Genuatibus, aut uni Galliæ regno, ſed & Italiæ Principibus, imperio Romano-Germanico, quinimo toti terrarum orbi nedum Chriſtiano, qua notas qua exploratas. Attamen hæc ipſa ſunto ſine præjudicio veritatis, quam profitemur. Reliquum eſt ut noſtram theſi (ſi Diis placet) tam ſtupendæ antitheſin opponamus. Neget fortaſſe quiſpiam primum ad obtutum, tot tantarumque autoritatum per Satyram velut ab adverſario allegatarum ullam omnino antitheſin formari poſſe. Sed nec gravatim in hac palæſtra recipio probandi onus, demonſtraturus quæcunque allegat, nulla juris ratione aut facti veritate fulciri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Ut autem lectori conſtet ordinis noſtri ratio, neve ille facti inter & juris mixturam aut ceſpitet, aut judicium ſuſpendat, ſic pergere inſtitui. Primo oſtendam nullas voces, nullas appellationes, nulla nomina aut addere aut demere quippiam alicui poſſe eum ad modum, ut non ſit idem quaquaverſum qui ante fuit; Secundo, membratim examinabo ab adverſario allegata, & quatenus in jure, quatenus in facto hallucinetur, indicabo: Tertio, quæ, qualia, & quanta in ſubjecto nobis themate contra Sabaudiæ Duces conſideranda veniant, lectori ob oculos ponam.

CAP. III.

Nuda rerum nomina ad ſubſtantiam earum nihil conferunt. Rerum ipſarum momenta æſtimanda, quod breviter ratione probatum ac legibus,

PRimum ergo quod attinet, cymbalum adverſarius pulſat, atque uti nominum argumento utitur, ita nihil præter verba ac voces rerum inanes ebuccinat. Pone Sabaudiæ Duces dictos Reges, Imperatores, Monarchas: Pone Reges Regum, Heroas, Semideos, Deos. quid tum? pone à ſubditis ſic appellatos, pone à peregrinis, pone ab omnibus; quid tum? Dicis, errorem communem jus facere? nihil metuo: in tam ſollicite congeſtâ epithetorum farragine riſi ut frontem ferirem, neque enim niſi ſibilo digna eſt, quamdiu non aliis in ſpeciem utique præſi-

diis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

diis tanta Majeſtas inniti probatur. Quod proſpiciebat adverſarius, quando prudenter, circumſpecte, judicioſe, neque tam ex officio, quam ex merito, ex debito, Sabaudis Ducibus hæc qualiacunque ſunt, tributa fuiſſe, ac porro tribuenda defendit. Diſcat autem vel reminiſcatur nomina rebus dari, non res nominibus, quod

Et pueri norunt, niſi qui nondum ære lavantur:

res non illum in finem creatas fuiſſe, ut eſſent quibus nomina occupari alias otioſa, quæ nominibus agnoſci, dignoſci, aut ſecerni poſſent; verum rebus creatis, demum nomina imponi cœpiſſe. Futile ergo eſt, ubi rerum momenta deſunt & requiruntur, ſolius nominis aut agnominis argumento uti. Rebus non niſi lex normam ponit; rerum humanarum divinarumque regina, munus atque inventum Dei: nominibus autem non ſæpius humana voluntas & judicium, quam voluntatis humanæ ludibrium. Proinde quæ iſtiuſcemodi ſunt, tanto minus æquum eſt æſtimari aut attendi, quanto certius ſcimus nos vera rerum vocabula non hoc demum ſæculo (vetus querela eſt) amiſiſſe. Quam pauciſſimis ut abſolvam, fidenter dico, in toto Juris corpore nullum textum, nullam legem reperiri, cujus autoritate probari poſſit qualitatem quam quis neque naſcendi ſorti acceptam ferat, neque alias beneficio juris adeptus ſit, nudis appellá-

pellationibus aut epithetis ſic acquiri, ut ex eo ſolo conditionem ſtatus ſibi quiſquam poſſit immutare. Ex adverſo ſic Imperatores Diocletianus & Maximianus reſcripſere: *non epiſtolis neceſſitudo conſanguinitatis, ſed natalibus vel adoptionis ſolennitate conjungitur: nec adverſus abſentem hæreditatis dividendæ gratia velut contra fratrem pro ancilla petitus arbiter ſubſtantiam perimit veritatis. Sive itaque quaſi ad ſororem, quam ancillam te poſſe probare confidis, epiſtolam emiſiſti; ſive familiæ erciſcundæ quaſi pro cohærede petitus arbiter doceatur, fraternitatis quæſtio per hoc tolli non potuit.* l. non Epiſt. Cod. de probat. Iidem Impp. lege ſeq. C. eod. *non nudis*, ajunt, *aſſeverationibus, nec ementita profeſſione (licet utrique conſentiant) ſed matrimonio legitimo concepti, vel adoptione ſolenni filii jure civili patri conſtituuntur. Si itaque hunc, contra quem ſupplicas alienum eſſe probare confidis, per te vel per Procuratorem affirmationem ejus falſam detege.* Et ante eos J. C[tus] in l. Cajus ff. de jure patr. ubi ſic textus: *Cajus Sejus diſcedens teſtamento ordinato inter liberos ſuos Iulium libertum ſuum quaſi & ipſum filium ex parte hæredem nominavit. Quæro an hujuſmodi ſcriptura poſſit liberto ſtatum conditionis mutare? Modeſtinus reſpondit, ſtatum mutare non poſſe.* In re tam clara ſupervacuum ſit aut caſus ll. aut decidendi rationes reſpicere. Me quod attinet, poſt tam expreſſos textus de meo nihil ſuperaddam. Adverſarius ſi poteſt

teſt tranſcendat hoc vallum, atque ſi me erroris arguendum putat, probationibus proditis redarguat. En Rhodum, en ſaltum.

CAP. IV.

Plinii Secundi & Baldi I. C. locus explicatus. Coſmi Medicæi verbum. Majeſtas & nobilitas non confundenda. Majeſtas nullo tempore indiget ad firmandum jus ſuum; dum naſcitur abſolvitur. Regnum Saulis & Davidis in Iſrael non precarium regnum. Ad Majeſtatem nihil confert nobilitas. Singularis benignitas numinis in ſummas poteſtates. Ejus eſt dare Majeſtatem & Regem vel ex ſterquilinio ſuſcitaſſe. Nobilitas in momento oculi non naſcitur. Cæſaris Tiberii dictum.

PLinium Secundum virum conſularem, aut ut ipſe loquitur, Conſulem, ait adverſarius ſerio ſibi eo nomine gloriari, quod non eſſet liberis ſuis ſubitas imagines relicturus: gnarum quippe, quod & apud Baldum eſt in prooemio feudorum, nobilitatem in momento oculi non naſci: neque enim hanc veram nobilitatem ęſtimandam, cujus exordia nemo ignoret: illuſtriorem & eſſe & haberi, cujus originem multa antiquitas abſcondat, & veſtigare volentibus reddat inacceſſam. Poſſè vero quæ de non relinquendis ſubitis imaginibus Conſul Romanus gloriatur, Sereniſſ. Sabaudorum domo oriundos Principes de titulis regalibus domus ſuæ quam veriſſimè prædicare. Eſſe hoc indubium, ut quos de ſtirpe

ſtirpe in ſtirpem propagaturi ſint, omni novitatis labe ſint cárituri, neque futurum, ut quis illos in ictu oculi natos (hanc ei phraſin iterare placet) calumniari poſſit. Id vero mirum; aut creditu difficile nemini videri poſſe, qui modo perpendat, tantæ illos vetuſtatis eſſe, ut cuivis etiam peritiſſimo diu ac multum laborandum ſit in primordiis illorum indagandis, quæ ab auguſtiſſima & regia Saxonum gente ſcilicet tanquam ab ovo Ledæ deducantur. Totum ergo, ut apparet, antiquitatis argumentum eſt, nominis magni (fateor) & ſpecioſi, ſed vani, de qua uſurpes quod olim de annoſa quercu Lucanus:

Stat magni nominis umbra;

Eſt poſt paulo:

Et quamvis primo nutet caſura ſub ictu
Pondere fixa ſuo, nudoſque per aera ramos
Expandens, trunco non frondibus efficit umbram.

Longe magis & Domino ſuo & ſibi conſuluiſſet adverſarius, ſi fumoſis & nihil ad rem facientibus C. Plinii imaginibus valere juſſis, monuiſſet, etiam ſumma quæque citra invidiam ac pompam habenda. Coſmus Medicæus, imperandi jam vetus & recoctus, Principibus ſublimiores præ aliis titulos negabat ambiendos: prudentius facere apud quos jus imperii valeat, inania tranſmittantur, quæque præſidia dominandi ac vires intendant, ea quibuſcunque titulis præſtare, quorum & vi-

ces

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ces ſuppleant & defectus compenſent. Sed nos ad ipſum adverſarii argumentum veniamus. Peccat in eo, quod inæqualibus æqualia attribuit. Hoc quotiens fit, nihil inæqualius ipſa æqualitate eſſe Philoſophus docet, eandemque inæqualitatem matrem eſſe τῆς ἀδικίας. Aliud eſſet, ſi quempiam qui neque parem habeat, neque ſuperiorem agnoſcat, in exemplum adduxiſſet. Quo in numero quoniam haberi vult Sabaudiæ Ducem, proceſſiſſet hoc probato inſtituta comparatio. Sic enim, quamvis perſonis, dignitate, ſtatu, conditione, jure ac quibuſcunque demum modis æquales exſtitiſſent, antiquiori ceſſiſſe novitium humanitatis æquitatiſque fuiſſet: at vero ut inter toto genere diſpares fiat comparatio, qui vi ſua atque energeia eos æquet, uno loco unove ordine eſſe faciat, id ipſo abſurdo ſit abſurdius. Commonui jam ante, quis hujus ſcripti ſit ſcopus: nimirum in ſpeciem hoc agi, ut ſuæ (tales enim vindicat) prærogativæ Sabaudo Duci ſartæ tectæ ſerventur, revera ut majori potentiæ præludat, & his aſſertis vindicatiſque ſiqua forte occaſio aperiatur aliorum damnis injuriiſque ſua augendi, quod vis aut aſtus valuerint, id jure factum eſſe videatur. Sed eum ſcopum ut aſſequatur, nihil adhuc effecturum audivimus: nec loca Plinii & Baldi ad hanc materiam applicari poſſunt. Fieri non poteſt, ut ſicubi jam nunc certum jus con-

conſtitutum eſt, dignior aliquis cæteriſque eminentior ſtatus conditio dependeat à tractu ſive intervallo temporis. Atqui nihil certius, quam quod ad faſtigii regalis excellentiam & ſummam attinet, eandem eſſe omnium regum ac regnorum conditionem. Suſcitaverit bonorum largitor Deus pro ſacroſancto juſtitiæ & miſericordiæ beneplacito ex ergaſtulo, ex ſterquilinio (agnoſcamus ſacræ Scripturæ verba) Regem. numquid obſcurior eo inter cæteros Reges, ante Duces, Comites ejus ſplendor? num levius in ſubditos feudatarios imperium? an quod alii, cætero jure ipſi pares, nec quemquam mortalium ſupra ſe ſuſpicientes, ſceptra per innumeros avos tranſmiſſa teneant, iis ſe regnumque ſuum ſubmittet, dicens: Tu major, tibi me eſt æquum parere? Quæſo dicat mihi Reverendus Monodus, fuerintne Saul aut David minus Reges, minus habuerint Majeſtatis, quam cæteri reges Iſraëlis? At opinor non dicet, & tamen fatebitur utrumque prognatum infimo genere, (utique Saulem) neutrum ſplendore natalium præ cæteris emicuiſſe? Teſtatur ſacra pagina Saulem velut attonitum ac ſideratum, ſtatim ut ex ore Samuelis inaudierat, ſibi domuique ſuæ fortunam regiam deſtinari, in has voces prorupiſſe: *Atqui numquid ego non ſum filius Iemini?* numquid minorum gentium eſſe deſii, *aut gens mea non*

eſt è minimis de tribu Benjamin? Cui ingenuæ confeſſioni conſentanea prorſus ſunt, quæ de ſe Rex vates pronunciat. Et ſic uterque inſigni documento eſt, quæ Deo debentur fruſtra natalibus deferri. Quam vero quà Saul, quà David non exercuerint precarium imperium, vel me tacente ſatis demonſtret jus illud regium, quod dictavit Samuel: jus, inquam, quo ſeſe ac ſuæ uni Deo obnoxiæ poteſtates hodieque tutantur. Atque ut illud quoque oſtendamus alienum eſſe à regni ſanctimonia, quod allegatum eſt, nobilitatem ſcilicet in ictu oculi non naſci, quid in hiſtoria Saulis magis planum atque explicatum, quam eopſe momento, quo Samuel diſceſſum parat, cor Saulis divinitus immutatum fuiſſe? ejus pectori regales ac Rege dignos ſpiritus vel tum ſe inſinuaſſe, cum nondum populus eum accepiſſet in Regem? nec mirum. Quos enim numen vicarii ſui in terris poteſtate induit, in illos etiam ſingulari gratia duplum triplumve inſtinctus ſui contribuit: & quo evexit, celſius eò potentioribus benignitatis ſuæ radiis circundatos tuetur ac fovet. Huc ſpectant illa: *Cor Regis in manu Iehovæ, ut rivulos aquarum, illud quò vult inflectit.* Item: *Altitudinis cæli, terræ profunditatis, & cordis regii perveſtigatio non eſt.* Item: *Honor Dei eſt abſcondere rem, honor Regis inveſtigare rem*, & quæ plura his affinia in ſacra ſcriptura paſſim occurrunt. Ecquis

(ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

(ut ſacris omiſſis etiam profana delibemus) Primiſlaum Bojohemum, ecquis Leſſum Polonum, utrumque ab infima ſorte, ab ſtiva & aratro regni habenis admotum, credat aliis non Regibus & ſe minoribus fuiſſe ceſſuros vel ceſſiſſe, eo quod plures illis præferrent imagines, quod majoribus non quidem munimentis ſed monumentis inſiſterent? quis ignobilitatis ſuæ conſcios dicet inferiora eos regali faſtigio deſtinaſſe, egiſſe? Nemo ſane ſanus. Igitur quandoquidem Regibus proprie Majeſtas competit, probare deberet adverſarius Majeſtatis & Nobilitatis eandem eſſe rationem. Cui tamen hic omnes probandi modos τὸ ἀδύνατον præcidit. Nobilitas temporis ſerie gaudet, & ab annis decus aſſumit ac robur: neque aliud fere diu multumq; duraturæ nobilitatis præſagium eſt, quam quod duravit. Majeſtas ex adverſo temporis nullius decurſu indiget, ab ipſo ſtatim exordio ſimul atque eſſe cœpit, conſummata, abſoluta, perfecta eſt: neque ut ſit id, quod eſt, ullius alterius Majeſtatis adjectione adjuvatur. Quod ſub prudentibus fabularum involucris egregie firmat Poëta: qui poſtquam Majeſtatem è legitimis honoris & reverentiæ complexibus editam produxit, duo de eadem teſtatur, illam nempe & totum terrarum orbem moderari, & (quod notandum) magnam fuiſſe ſimulatque nata eſſet. Verſus hi ſunt

— Honos placidoque decens reverentia vultu
Corpora legitimis impoſuere thoris.
Hinc ſata Majeſtas, mundū quæ temperat omnem,
Quoque die partu eſt edita, magna fuit.

M. Varro à majori ſtatu Majeſtatem dictam eſſe cenſet, quaſi quæ ab innata ſecum magnitudine nomen ſortita ſit. Nec aliter Valerius Antias cum aſſereret Majeſtatem recte vocari, longum & beatum honorem ſine honore, ſine tribunalium faſtigio, ſine apparitorum miniſterio potentem in amplitudine ſua conſervanda, oſtendit ipſam ſibi ſufficere externi nullius indigam, & vel hoc nomine à nobilitate diſcretam, quam ſpectata virtus, aut concepta de majorum virtutibus opinio, deque poſteris velut ſpondens inchoat, divitiæ firmant, favor hominum attollit, ac temporis decurſus reddit illuſtriorem. De hac ergo privatorum nobilitate audienda verba Plinii, eoque ad regiam Majeſtatem deduci non debent. Similiter Baldus male ab adverſario adducitur, qui etſi de eadem loquatur, tamen cum dicit, eam in momento oculi non naſci, non dicit nobilitatem non eſſe niſi ſit antiquiſſima, & ab Cecropidis aut Trojugenis deſcendat: ſed perinde ut punctum non eſt linea, ſed lineæ principium; unitas non numerus, ſed principium numeri: ita novum hominem auſpicium quidem nobilitatis facere, nobilem vero vocari non poſſe. Huc ſpectat il-
lud

lud Tiberii dictum, de Curtio Ruſo, cujus à ſe præturæ admoti natalium dedecus celare cupiens Princeps, Curtium Ruſum videri ex ſemet ipſo natum ſenſit. Sed de his plura mox, jam quæ ex epiſtola P. Damiani adverſarius profert, ſub examen revocabo.

CAP. V.

Tituli Sabaudici à Comitibus vallis Maurianæ petendi. Sabaudiæ Dux intra ſexennium demum Sereniſſimum nomen à Cæſare adeptus eſt. Saxonum gentis gloria. Ab ea Sabaudiæ Duces oriundos qui vult, probet. Magni id ipſum in hac controverſia momenti. At interim parum cordate ab adverſario tractatum. Ludovicus Chieſa & Georgius Fabricius Chemnicenſis in eodem argumento ſe exercuerunt eadem de cauſa non feliciore eventu.

VIdendum ergo quomodo adverſarius porro Plinii & Baldi verba applicet: verumne ſit, Duces Sabaudos titulos regios non ſubitaneos & novos eſſe tranſmiſſuros: ſed etiam originem Sabaudicæ domus à Saxonum regali ſtirpe pendere. Equidem non adeo ſum moleſtus, ut negem Sabaudos Duces de titulorum verè ſuorum vetuſtate, ſive tanquam Moriennæ Comites, ſive tanquam Sigiſmundi Cæſaris beneficio creatos Duces, aliquid magnificum merito prædicare. Sed profecto plus eſt quod petit hic noſter, & plus quam forte ei donet veritas. Conſecuti ſunt intra vertens hoc ſexennium, & quidem con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſecuti ſunt munere Imperatoris, ut qui prius *Tu, Tua dilectio*, &c. audierat (clarent omnia ex Imperatoriis grammatophylaceis) nunc *Sereniſsimi* titulum ferat. Ergo negari non poteſt, hinc titulum novum eſſe, aut quod magis eſt novum, dicendum adverſario, quem titulum nanciſcitur nepos, eum ad majores ſtatim remitti. Siquis tamen rationibus agere nobiſcum, & hoc de quo quæritur, juri vel mori conveniens eſſe demonſtraturum ſe profiteatur, lubens auſcultabo & docebor: adverſarius quod tanta fiducia frontem armavit, ſciat non ipſius fiducia, ſed argumentis nos perſuaderi. Saxonum gentem ſeu domum quod regiam vocat, nihil peccat ſane; nec me ſibi habebit contradicentem. Verum eſt, regia Majeſtas in iſta gente Princeps fuit. Eo antiquato ſumma nihilominus nomina, Duces, Electores, Cæſares terrarum orbi dedit: plurimis retro ſæculis & etiamnum potentiſſima, & tantæ exiſtimationis, ut præſtantiam nemo laudaverit, cui magnitudo non fuerit admirationi. Extulere eam ac provexere immane quantum ſtemmata procerum ac magnatum, ſi ipſa numeres, multa, crebra, copioſa; ſi merita eorum, omnes laudes ſuperantia. Ulteriora quis exigat à candidato veritatis? non ego, ſed ut ab ſua parte adverſarius paria faciat, rogo: & à Saxonibus per cohærentes lineas ad Sabaudos digreſſus, oſten-

oſtendat oriundos è Saxonum gente Duces Sabaudiæ. Non ignarus equidem ſum, ſub iſtiuſmodi integumentis multa non movenda delitеſcere: & principia eorum quos præſens ſtatus verendos facit, quique, ut ſe magis faciant verendos, antiquitatem obtendere ſolent, requirere piam credulitatem: ſed hæc res oculos non præſtringit eorum qui rem inſpiciunt, non perſonam, aut circumdatum ei fulgorem. Quod ei in animum demittendum erat, ſi ſerio ſe agere credi vellet, nunc id effecit, ut rarus credat lector, ipſummet adverſarium pro vero habere quod aſtruit, aut ſperare, ſe tanti effati veritatem defenſurum. Nihil illo poſtquam huc devenit frigidius, nihil remiſſius, nihil dejectius. Ait utique, affirmat, grande & irrevocabile dictis miſcet pondus, ſed quod nos non prægravat, ipſum rerum & teſtimoniorum momentis deſtitutum arguit. Aut hic, aut nuſquam, aut nunc, aut nunquam fortiter ipſi fuerat faciendum. Compertam ſiquidem veritatem quiſquis negligenter tractat, & ita, ut ſuſpectam reddat, prævaricatorem agit, non legitimum cauſæ aſſertorem. Ea etiam optima non firmatur, ſed proſtituitur etiam imperitiſſimarum proſcindenda ludibriis, quotieſcunque patrocinio fides abeſt aut robur. Si Saxonum gens regalis fuiſſe dicenda eſt, ſi à Saxonum gente deducendi Sabaudi Duces, evidens eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

eos jam tum à primis incunabulis naſcendi ſorte tantæ domui innexos ac connexos, regiæ dignitatis ſpe, at multo certius titulis dignitatis regiæ gaviſos. Vltra jam dubium eſſe non poteſt (uti ferme, quæ generoſiora ſunt ſeminum, ad ſuos reſpondent ortus) quin in regales quoque ſpiritus ſuccreverint, & eoſdem (traduces quippe & à natalibus ipſis arceſſendos) in ſtirpem tranſmiſerint. Erat ergo hic locus egregius, dignus qui non præteriretur, ſi habuiſſet adverſarius, ubi ſtabile veſtigium poneret. Sed vidit procul dubio, affirmare id quidem ſe poſſe, non confirmare: nec ſi affirmare velit, defuturos, qui contradicant. Abſit ut in Sereniſſimos Sabaudiæ Duces calamum ſtringere, nebulam ſplendori illorum obtendere, juſtis debitiſque eorum prærogativis derogare me velle quis exiſtimet. Non ea mihi mens, non ejuſmodi ratio inſtituti eſt. Candorem profeſſo veritatem quæſitam compertamque pro virili tueri apud neminem fraudi ſit, qui non ipſe candori atque veritati bellum indixit. Itaque ut relegam filum, quod præivit adverſarius, dicam quod res eſt. Sabaudos è ſtirpe Saxonum qui ponit oriundos, idque magis intelligi cupit quam perſuaderi, infirmum nimis aſſertionis ſuæ fundamentum jacit, & re vera tale, ut ei inſiſtere lubricum ſit, inniti impoſſibile. Non ignobilis jam pridem quorundam facilitas

eſt,

eſt, qui hoc audito ſuavi fabella mulceri aures ſuas putent: nec minus cognita aliorum confidentia, qui magnis, atque ut ſibi ipſi perſuadent lectorique perſuaſum volunt, omni luce clarioribus argumentis id ipſum refellere ſunt aggreſſi, & ex adverſo demonſtrare, nihil Sabaudis Ducibus (principia ſi ſpectentur) commune cum Saxonum gente eſſe aut fuiſſe. Quod quo ſucceſſu utrimque præſtitum ſit, exiſtimatio eorum eſto, qui in ſubtilitates iſtas inquirunt; ego me non interpono. At certe Ludovicus della Chieſa, commentario quo Sabaudicæ domus initia ac progreſſus pertexit, quamvis plurimis è ſignis evidenter conſtet, eum quantus eſt Sabaudicæ magnitudini vectigalem eſſe, ſic agit ut merito ambigas, illene theſi ſuæ adſtruendæ defuerit, an vero prolixiſſimam viri voluntatem atque enixiſſimos conatus deſtituerit ſterilitas argumenti. Quippe cum diu multumque deſudaſſet in enervandis, quæ contra adferuntur, adeo diffidere ſe cauſæ prodit, ut in re multis ambagibus perplexa fidem neminis obligare aut ſtipulari ſit auſus. Nec obſcure præfert voti ſummam conſecuturum, ſi, quæ ambitioſe diſputaſſet, accipiantur ceu non aliena à vero, aut falſis affinia: felix utique futurus, ſi tam facilem & credulum lectorem nanciſcatur, quam ipſe videri vult, ſe aſſertioni ſuæ fidem atque aſſenſum tribuere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Quod quidem nemini mirum videbitur, qui advertet quod ipſe rotundo ore, nihil circuitione uſus, fatetur, nullos reperiri, qui ante annum ſexageſimum ſupra milleſimum ac quingenteſimum à Beroldo Saxone (hunc enim Sabaudici ſtemmatis autorem ſunt qui volunt) Sabaudiæ Ducum originem derivare, ac qua par foret ſerie continuatam deducere ſint aggreſſi. Prorſus ut appareat, opinionem hanc hodie aut heri natam eſſe, à qua vetuſtiores, ut proximiores originibus, & ſervitii tam callidi ignaros, in ordinem cogi propalam iniquum ſit. Accedit quod videamus Ludovicum Chieſam potiſſima eorum, quæ habet, mutuatum à Georgio Fabricio Chemincenſe, ſcriptore utut de hiſtoria, deque tota re literaria, ac comprimis de Saxonia præclare merito, recenti tamen, & infra avorum memoriam. Accedit & alterum, quod ipſemet Fabricius quantumvis à multis inſtructiſſimus, & honorum quoque ac præmiorum ſpe ad innectendos Saxonibus Sabaudos non ſemel excitatus, aliena ſe compilaſſe ultro fatetur: nempe quæ privato lucubro fuerant à C. Agricola congeſta, (Archivorum Grammatophylaceorum, quæque ejus generis plura ſunt, nulla mentio) ea deſcripſiſſe ſe, ac prout deſcripſerat, digeſſiſſe. Accedit denique quod idem ille ſua ad Carolovitzium Electori Saxonico id temporis à conſi-
liis

liis epiſtola, ubi ad Sabaudos Duces perventum eſt, dolet, ac velut queribundus teſtatur, multa tam in hiſtoria, quam in proſapia, deſiderari. Hæc ego cuncta quam veriſſima eſſe ajo, & quo nulli ſuſpecta ſit veritatis fides, ipſos ambos, Chieſam nempe ſuo, quem mox citabam commentario, & Fabricium in epiſtolis illis, quas lib. IV. originum Saxonicarum præliminares voluit, teſtes advoco.

CAP. VI.

Odioſa & imprudens domus Sabaudicæ cum omnium Europæorum Principum familiis contentio à Monodo facta. Sabaudica incrementa alienæ beneficentiæ multum debent. Sereniſſ. Venetorum Reipublicæ antiqua libertas, ejuſque æqua à primis initiis ad hæc uſque tempora dignatio. Scopus Autoris quaſi poſſeſſionem regalium titulorum Sabaudiæ Duci tribuentis. Quaſi poſſeſſio quid & quatenus valeat. Aliæ probationes ad poſſeſſionem vel quaſi, aliæ in petitorio requiruntur, neque à quaſi poſſeſſione ad proprietatem procedit argumentum. Quaſi poſſeſſio Sabaudiæ Ducis nulla eſt, quippe quæ titulo deſtituatur.

PОrro ſic adverſarius ſtatim à principio cap. I. *Mihi in præſens ſatis ſuperque ſit demonſtraſſe, nullos tota Europa Principes inveniri, qui, Saxonibus exceptis, (hinc & Sabaudicæ genti principium atque origo) magis antiquos titulos regales, titulos inquam à maſculis non interrupta ſerie deducendos, exhibere poßint. Et quidem per ſingula Principum ſtemmata ituro, theſeos illius facilis eſſet probatio:*

batio: ſed ne laudis tanti Principis, qui per ſe clariſſimus eſt, & alienarum comparatione præſentaneum odium provocatura, extendere atque amplificare velle videamur, unum modo dicemus: Eſſe ſcilicet gentem Sabaudicam jam ante annos ſexcentos in regalium titulorum quaſi poſſeſſione, ac proinde neminem mirari debere, ſi tot ſæculis tributa negari ſibi hoc tempore non ſinat. Horum priora cum multis aliis, quibus ut emblematibus opus ſuum adverſarius diſtinguit, in cumulum collecta diſpiciemus in capite ultimo hujus diſſertationis: ubi videbitur, quomodo diſſimulationis larva poſita ex profeſſo omnes blanditiarum imperioſarum effundat habenas, & hortetur Sabaudiæ Ducem, ut ſumat ſuperbiam meritis quæſitam regales titulos capeſſendo; ſic denique urgeat, ut ni pareat conſilio ſuo, ceu iniquum in ſemet ipſum grata reprehenſione objurget. Neque mei eſt inſtituti cæterorum Europæ Principum, quos illi quietos movere & in hoc ſcamma producere lubuit, delectum velut & cenſum agere. Erit unicuique ſuum & patriæ decus curæ: modo ne fraudi ſit in genere dixiſſe, mihi pro compertiſſimo haberi, plurimos dari Principes quorum domui qualis qualis eſt ea antiquitatis prærogativa citra injuriam eripi non poſſit; nedum in eum conferri, qui longe maximis, imo non unius ſæculi intervallis poſterior ſit. Optimum foret, ſi Sabaudiæ Ducem monerent

ſui,

ſui, uti quæ ipſius ſunt, habere ſine diminutione contentus ſibi, quæ cum pluribus ei communicata ſunt, occupare ſolus ac privatim, aut ante cæteros habere ne conaretur. Sed tranſeamus iſta quidem ſicco pede, quaſi hic alieniora. Porro adverſarius totus alias in hoc intenditur, ut lectori acceptum faciat, Sabaudiæ Duces cum Sereniſſima Venetorum Republica non modo paria poſſe facere, ſed inveniri, ubi ſuperent ac partes habeant potiores. Hoc tamen loco non auſus eſt hanc comparationem ingredi, aut adferre quippiam, quod ſive Reipub. Venetæ Majeſtatem, ſive adeo ullius liberæ Reipub. jus imperiumque vel eminus & per obliquum lædat. Qua in re una cautior eſt, quam alibi eum acer ille pro hero ſuo niſus eſſe permittit. Infinitis exemplis condocemur, quæ citra diſcrimen moveri non poſſint, quæque ſi agitentur, commoventem primum obruere ſoleant, longe prudentius intacta relinqui. Nos vero nec hoc certamen defugimus, & cupimus, ſiquid aliquando auſurus eſt, experiri eum quid poſſit. Non ſic omnis annalium fides è medio ſublata eſt vel decoxit, non ſic conturbata univerſi humani generis ſcientia, ut vel allegare, taceo argumentis defendere aut communire ſit neceſſe, Venetos jam ante biſſena ſæcula libertatem fovere ſemper virginem: eoſdem tanto temporum lapſu, nec

in terris Dominum, nec in Italia ſuperiorem aut agnoviſſe, aut agnoſcere. Ex adverſo, ſi in ſua ſe principia recolligant Sabaudiæ Duces, ad primævum in depreſſa atque anguſta D. Johannis ad Maurianam valle Comitatum convertentur. Quod ipſum tanti per ſe non eſſet, niſi eodem momento alienum beneficiū cogerentur agnoſcere: niſi fateri, jam tum à principio nihil ſe habuiſſe, quod dominii jure vendicare poſſent, nihil poſſidere quod non aliena beneficentia (vim & huic affines dominii quærendi modos non attingo) primitus ſunt conſequuti. Sint licet, qui hæc illa talibus initiis, talibus incrementis in immenſum extollant: ſperent abolitam primævæ conditionis memoriam, & nunc ea proxima ſupremis, mox æqualia, denique ſublimius eniſura jactent & polliceantur: nemo impediet, quo minus quiſque errore ſuo ſuaviſſima libidine fruatur. At fatendum interim eodem modo

Et canibus catulos ſimiles, & matribus hædos

dici debere. Quidquid ſit, eſt hoc extra omnem dubitationis aleam, non ſic (qui Conſultis loquendi mos) inhærere Baptiſmi characterem, quam Sabaudæ gentis primoribus inhæret obſequii nota. Contra Venetam Rempublicam idem ſol enaſci liberam vidit, qui adhuc talem colluſtrat, ut in ipſis natalibus, ita & porro à natalibus dominam ſui: Marcium quoque Leonem

æquata cum Majeſtate creatum

Nullaque privatæ paſſum contagia ſortis,

non ruſſatum, non aligerum, animoſum, hirtum, fortem quis ante dixit quam liberum? Quod cum dico, liberi voce omnia ac ſingula comprehendo, quæ ſceptris debentur ac coronis. Enimvero neque tam inſipiens aut vecors ullus inveniatur, qui negare auſit, etiam unius hominis liberi caput multis Provinciis quarum libertatem, parendi atque obſequendi neceſſitas Dominis ſuis devincit, facile præſtare. Finire poteram: ſed quandoquidem plurium ſæculorum quaſi poſſeſſionem adverſario crepare lubet, erit ut video penitius aliquanto demonſtrandum, nihil ipſius cauſæ compendii adferre iſtam, quam tantopere urget, quaſi poſſeſſionem: idque ſive neceſſitatem probandi ſpectemus, ſive diſpoſitionem juris. Quod antequam aggredior, monendus eſt lector, eum & hoc loco aliud agere, aliud ſimulare. Namque ſi ad vetus illud Caſſianum, Cui bono fuerit, recurrimus, veſtigaturi ad quid tam ſtudioſe intendat allegatam modo quaſi poſſeſſionem, patebit è veſtigio id agere, ut (quamvis aliàs ipſe probandi oneri humeros ſuppoſuiſſe, & probationes non modio, neque trimodio, verum ipſo horreo emenſurum ſe videri cupit) in adverſarium onus probandi avertat & amoliatur. Quippe Sabaudiæ Ducem ſuis ſcilicet

con-

contentum, nihil aliud perſequi ſtatuiſſe, quam quod ſibi debetur, quodque à multis annorum luſtris jam quoquo modo tenet. Quid opus ergo multa in vanum jacere aut prodigere? compendifieri poſſe cumulum probationum, cum apud omnes in confeſſo ſit, teſtetur evidentia, ipſa res loquatur, Sabaudiæ Duces in juris illius, quod ſibi deberi contendunt, non modo à tot jam retro elapſis ſæculis, verum hoc ipſo etiam momento quaſi poſſeſſionem eſſe. Sufficere ergo, ut nudam quaſi poſſeſſionem pro ſe allegent: ea poſita, ne obtineant quod petunt, nihil morari: ſiquis contradicat, ſola quaſi poſſeſſionis allegatione ipſos, tranſlato in contradicturum probandi onere, poſſe defungi. Nempe juris eſt minime controverſi, inter cætera quaſi poſſeſſionis commoda non poſtremum cenſeri, ut qui poſſeſſione vel quaſi ſe tuetur, oppugnantem actoris vires cogat ſubire, & ſic probandi neceſſitate gravet. Unde hic quoque fructus exiſtit, ut actore non probante, reus etſi nihil præſtiterit abſolvatur. Præterea jus eſt, ut cum dicta quaſi poſſeſſio concernat jus ſummæ poteſtatis, ac proinde poteſtatem nulli obnoxiam, talis ſaltem ab hoc onere habeatur immunis: cui ſubjacere quaſi poſſidentem ſiquis velit, eadem opera ei adimat (quod iniquiſſimum) quantum quantum eſt, quaſi poſſeſſionis beneficium. Quæ quidem

ego

ego omnia & in ſpeciem pulchra eſſe, & univerſaliter ut proferuntur, etiam vera non infitior: Cæterum tamen nihil minus veritati convenit aut juri, quam ut ei, cujus ſtatus ab illa, quam nunc ſibi vindicare ſtudeat, qualitate diverſus fuit, ulla omnino quaſi poſſeſſio patrocinetur: præſertim quæ non innitatur altioribus radicibus, quam autor pro Sabaudis Ducibus nobis præfigurat, ejus puta modi, ut ſuum ſibi debeat principium, ſuos progreſſus, eadem ſibi mater ac filia, atque, uno ut dicam verbo, eadem ſemet ipſam abſolvat & perficiat. J. C^tus^ non ignobilis Fulvius Pacianus Lib. III. de probat. c. XX. in quo nimirum ex profeſſo tractat, poſſeſſio alicujus ſtatus ac qualitatis, an & quando onus probandi in adverſarium transferat, hanc regulam format: *Poſſeßio vel quaſi poſſeßio alicujus ſtatus aut qualitatis transfert onus probandi in adverſarium, quando ſtatus ille aut qualitas, in cujus poſſeßione ſumus, ineſt ſic, aut apta eſt ineſſe ab origine rei.* Format idem Pacianus d.l. alteram ſimiliter regulam, quæ priorem illam excipiat velut ſuccenturiata: *Quando præſens ſtatus aut præſens qualitas contradicit neceſſario origini & progreſſui naturali, tunc quaſi poſſeßio non relevat poſſeſſorem ab onere probandi.* Sabaudiæ Ducum ſtatum primævum, progreſſus inſuper eorundem, ac qualis hodie ſit, etſi toto hoc paſſim opere, ſuo tamen loco ſpeciatim videbimus:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

aſſerturi diſertim, nihil minus quam regium nomen eis aut unquam convenire potuiſſe, aut etiamnum convenire; nedum ut conveniſſe fateamur, aut jure debitum fuiſſe aut in præſens deberi: Effato generali limitationem æque generalem ſatis eſt oppoſuiſſe. Progredior: Si qualis videtur adverſario mens eſt, nempe ut jus Sabaudiæ Ducum ab antiqua quaſi poſſeſſione deducat, utque porro evincat vi atque intuitu quaſi poſſeſſionis iſtiuſmodi deberi revera Sabaudo Duci id omne, quod liberali ſtylo ei largitur, fieri non poteſt quin ſummis difficultatibus Dominum ſuum involvat. Quandoquidem enim hoc dono non alios ei debendi reos aſſignat ac ſcribit, quam ſummas illas poteſtates, quæ neque propter ſe parem, neque ſupra ſe ſuperiorem agnoſcunt: neceſſe eſt ſtatuat, eam quaſi poſſeſſionem & allegandam eſſe & probandam contra illos, qui jam ante habuerunt & habent nunc quoque (ut J. C[ti] dicunt) intentionem ſuam fundatam in diſpoſitione juris communis. Quo caſu ſiquid juris ſit inquirimus, nihil certius eſt, quam nullius momenti futuram talem quaſi poſſeſſionem, quantiſper non demonſtratur titulus verus & rectus, qui cavillationes & inſultus virtute æquitatis ſuæ excludat ac retundat. Talem vero titulum à partibus Ducum Sabaudiæ allegari poſſe atque adduci conſtanter nego. Hærent hic per-

quam

quam indigne partes Sabaudię Ducum (fatendũ quod res eſt) quæ & titulo juſto deſtituuntur, & quam parum in hac cauſa ab autore ſint adjutę, tum cum lex ordinis noſtri jubebit, abunde demonſtrabitur. Jam titulo iſtiuſmodi non probato ſunt illi, in quos maxime iſta quaſi poſſeſſio vires ſuas exſereret, ejus conditionis, ut & inſuper habere poſſint allegatam quaſi poſſeſſionem, & jure ſuo uti, id eſt, ejus conditionis ſunt, ut quibuſcunque modis licite illi ſeſe opponere poſſint, qui quaſi poſſeſſionis obtentu ad ſummarum dignitatum faſtigia viam affectat. Scilicet & privato fas eſt eum, qui vi, aut clam aut precario quid ipſi intervertit, aut interverſum poſſidet, deturbare ac repellere. Pone vero, jure ſuo uti velle αὐτεξȣσιȣς iſtos, utique dicendum eſt, nihil eſſe quod remorari illos poſſit aut impedire, dum non ignorant, tutos ſe eſſe ac munitos favore juris communis, dum ſciunt ſe non juris duntaxat præſumptionem pro ſe habere, ſed & apertiſſimam juris diſpoſitionem: ac proinde dum mordicus (neque injuria ſane) tutantur ac defendunt, haud aliter elidi, tollive, dictam modo qua præſumptionem qua diſpoſitionem juris, quam per evidentiſſimas validioris tituli probationes. Sciens omitto, Reges & æquales Regibus liberas Reſpublicas in iis, quæ ſunt ſummæ poteſtatis propria, nihil temere mutatum velle: quæque habent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

uni Deo obnoxia, ſic tueri conſueviſſe, ut nullatenus in dubium vocari, nedum avocari aut à ſe & auferri velint commoda quaſi poſſeſſionis. Tantum abeſt, ut iis quempiam extra aut præter ſe frui patiantur, atque in ſuum etiam præjudicium. Accedat jam dictis, quod per rerum naturam, non detur ulla tam valida & potens quaſi poſſeſſio, ut illius ſolius beneficio is, qui poſſidet, etiam in petitorio judicio, debeat obtinere. Ad probandam poſſeſſionem vel quaſi etiam minus exactæ probationes non raro admittuntur: Ut vero in petitorio quis vincat, non exactę ſed exactiſſimæ & inconcuſſæ requiruntur. Et merito, ſi contra eum qui quaſi poſſeſſione ſe tuetur Judex decernit, ſupereſt ei quod intentet petitorium nulla ſui parte imminutum, poteſtque de novo ventilari tota proprietatis cauſa. Facile vero judicatu eſt, merita cauſa tanto accuratius in petitorio judicio examinari debere, quanto poſſeſſioni proprietas anteferenda eſt: quanto quæ viſis, excuſſis, & ponderatis omnibus pronuntianda eſt finitiva ſententia, fiduciariæ præponderat, quacunque demum caſura eſt. Utut vero (quod tamen nemo aut rectæ rationi, aut legum dictamini conveniens exiſtimet) paria inter ſe iſta fingere voluerimus, & neceſſitati probandi ex æquo adſtricta; ut ut invita veritate largiamur, non eſſe firmioribus argumentis adſtruen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſtruendum proprietatis jus, quam poſſeſſionis vel quaſi; cauſa tamen ſubeſſe non poteſt, cur qui petitorio cupit experiri (ut noſtro caſu, quo contenditur Sabaudis Ducibus Regalos titulos deberi) quaſi poſſeſſioni ſuæ poſſit inniti. Dico quaſi poſſeſſioni, quam à primævo ſtatu ſuo deducere non poteſt, ac cujus exordium ab alieno beneficio arceſſendum eſt. Iſtiuſmodi autem ſunt illa omnia, quæ ſunt extra nos, ac proinde ingenita nobis dici non poſſunt aut nobiſcum nata. Ratio dictorum eſt, quia talibus litem intentat, qui diſpoſitionem juris communis habent pro ſe: quorum etiam conditionem ſi attendimus, nulla ratio poſſit aſſignari vel cauſa, cur ea in petitorio ſequior eſſe debeat quam in poſſeſſorio, aut alterius naturæ atq; efficaciȩ cenſeri. Nos certe id ut faciamus, nulla juris autoritas, nulla neceſſitas facti impellit. Super his notandum eſt, quod à quaſi poſſeſſione ad proprietatem argumentum non procedat, nam ut eſt in textu l. naturaliter. ff. de acquir. poſſeſſ. §. nihil. Nihil commune eſt proprietati cum poſſeſſione. Ergo ſi vel probatiſſima fuerit quaſi poſſeſſio (quȩ nulla eſt à partibus Sabaudi Ducis) niſi id quod ſibi deberi contendit, demonſtrat quam planiſſime deberi, id eſt, ſic deberi ut debitor citra crimen falſi inficiari non poſſit, totus fruſtra eſt. Nulla eſt hoc noſtro caſu cumulatio poſſeſſorii cum petitorio. Ut

finis fiat, quandoquidem adverſarius vult lectorem ſtatuere, nihil ſe vendicare præter titulos regales Duci ſuo debitos, atque unicam ſibi cautionem eſſe, nequis eos Duci ſuo ereptum eat aut controverſas reddat; omnino certius nihil eſt quam in vanum ab ipſo qualemcumque poſſeſſionem obtendi vel hoc ipſo, quia ſi quid eam patrocinari poſſe diceremus, in mentem & verba legis directe neceſſe foret impingere. Atqui tamen nemo ſanæ mentis ambigat, legem quæ tam accurate poſſeſſionem à proprietate ſecernit, quæ diverſo jure utramque cenſeri vult, conſtanter ſervari debere. Ab illius ergo diſpoſitione ſi recedimus, & quaſi poſſeſſioni ſubmittimus proprietatem, quivis videat nos ferri extra limites rectæ rationis, extra fines æqui & boni, qui juris ac legum autoritate proculcata cerebri noſtri commenta prævertamus prudentium virorum decretis, & communibus, atque adeo communem Reipub. ſponſionem continentibus, præceptis.

CAP. VII.

P. Damiani locus quo abutitur adverſarius, in manus ſumitur. Regnum & Regis vocabula data etiam illis, qui regnum proprie dictum, ſeu regale Imperium, non haberent: etiam regulis majori Regi ſubjectis.

PErgit autor Sabaudici tractatus, &, *Probationum*, inquit, *exordia deſumam à teſtimonio*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

monio Sanctiſsimi Cardinalis P. Damiani, qui in Eccleſia Dei floruit circa annum cIↃ Lx. *Hic ſua ad Adelhaidem Amedæi I. Comitis Sabaudiæ viduam epiſtolæ hoc utitur titulo. Ad Adelhaidem Duciſſam & Marchioniſſam Alpium Cottiarum. Et in ipſo Epiſtolæ limine: Adelhaidi Excellentiſsimæ Duci, Petrus peccator Monachus. Mox ubi de illius ditione ſermo eſt, ſic ait: In ditione vero tua, quæ in duorum regnorum Italiæ ſcilicet & Burgundiæ porrigitur non breve confinium, plures epiſcopantur antiſtites. inter quos Taurinenſis & Auguſtani ibidem recordatur. Porro collaudata illius animi magnitudine, de ipſius ditionibus eum in modum loquitur, prout de regalibus mos eſt loqui. Tu quoque, ait, ſine virili Regis auxilio Regni pondus ſuſtines. Tandem in titulis regalibus, quos filiis ejus attribuit, deſinit. Verba ſunt: Omnipotens Deus te ac tuos Regiæ indolis filios benedicat. Teſtis eſt* (verba & hæc autoris ſunt) *Eccleſiaſtica hiſtoria hunc Cardinalem morum ſanctimoniæ ac profundæ doctrinæ tam ſingularem in arduis ac maxime momentoſis negociis expediundis prudentiam junxiſſe, ut ejus opera potiſsimum Apoſtolica ſedes uti voluerit, ubi magni ponderis cum Imperatore, Regibus, aut potentiſsimis orbis Chriſtiani dynaſtis agendum obveniſſet. Ille igitur omnium aularum peritiſsimus & Sabaudicæ cum primis gnarus, in quâ perquam honorifice exceptus, ac muneribus inſuper fuerat affectus, quam fideliſsimo teſtimonio poſteros docuit, quanta ac quam late protenſa eſſet magnitudo Sabaudicarum ditionum: cum Adelhaidem ait*

duorum regnorum magnam partem obtinere: quam ipſe partem regnum adeoque vocat, cujus Principes regalibus quoque titulis inſignit, eos Regiæ indolis filios deprædicando, matri vero, quæ non niſi maximis Regibus ævo eo deferri ſolita ſunt, deferendo, titulum ſcilicet Excellentiſſimæ. Hæc poſtquam propoſuit, in locum communem digreditur. Et Carnutenſis, Bituricenſis Epiſcoporum primo, mox quoque Joannis Carnutenſis & Ildeberti pariter Epiſcoporum, item Goffredi Vindonicenſis Abbatis, Stephani Tornacenſis Epiſcopi & Petri Bleſenſis teſtimoniis probare annititur, eo ſæculo moribus atque uſu receptum fuiſſe, ut ad Regem ſcripturi Excellentiæ titulo uterentur. Addit denique nos iſtiuſmodi teſtimoniis ſtare debere, utpote quæ ab illis ſint profecta, qui Damiano aut coætanei fuerint, aut ab illius ſæculo quam proxime vixerint. Cuncta verbotenus deſcribere nulla neceſſitas eſt: tantum excerpſimus, ut mens autoris & vis argumenti ex dictis pateat. Quem ſi oſtendo fruſtra ſe torquere, ut neſcio quid regium inveniat in Sabaudis eo tempore Ducibus, ſupervacuum fuerit examinare, peculiaris ne fuerit Regibus Excellentiæ titulus. Nequis tamen à me quicquam jure deſideret, pervincam tam quod ad prius, quam quod ad poſterius adverſarium in errore multum manifeſto verſari. Ac primo quidem quod attinet ad nuda iſta verba: *Sine*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Sine Regis auxilio pondus ſuſtines Regni: item *Regiæ indolis filios*, &c. non ſunt ea talia ut quemquam movere poſſint aut debeant. Dicam cum Tragico:

Neſcitis cupidi arcium
Regnum quo jaceat loco.

Si ſolis Regibus ſemper regnum tribuendum eſt, ſi ſolis regiis liberis regiæ indolis laus quadrat, ſoliſque in iis conſpicitur, aliquid omnino dixerit adverſarius, neque prorſus expers nervorum ſit argumentum è verborum cortice concinnatum. Quid fiet autem Poëtæ, apud quem bubulcus fines ſuos ſatis anguſte, ut non difficulter credi poteſt, determinatos

Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen,

ſua regna vocat? Sed ne ſoli bubulco nomine augere liceat poſſeſſionem ſuam, ecce Rex regnum ſuum etiam orbem appellat, non ſine ſupercilio, cum apud Ovidium de Creta ſic ait: *Qui meus eſt orbis*. Atque exemplo non diſſimili Romanum orbem Antoninus. Sic etiam divinæ juſſiones, divina oracula, & quæ ejus generis plura ſunt, Imperatoribus aptantur, quos tamen idcirco nemo Deos eſſe dicat, niſi quatenus illius ſummi Dei in terris vicarii ſunt, atque illius vice concreditos ſibi populos imperio regunt. *Non Deum Imperatorem dicam* (ut in Apologetico Tertullianus c. 33.) *vel quia mentiri neſcio, vel quia illum deridere*

non audeo, vel quia nec ipſe Deum ſe velit dici, ſi homo eſt. Grande & hoc nomen eſt quod à Deo traditur. Negat illum Imperatorem qui Deum dicit. Niſi homo ſit non eſt Imperator, & quæ ſequuntur. Si igitur ſolum regale nomen regni prærogativas dare, ſi jura regalia valide conferre, obſequii notam in ipſa uſque oſſa inuſtam delere, denique ex inferioribus ſubſelliis productos in ſummo locare potis eſt, per me vel purpurea ſint Cardinalis Damiani verba, & triumphet in his adverſarius. Sed vero ſunt, ut paulum invertamus verba Lyrici,

Multa ſub regno graviore regna.

& quam frequenter in hiſtoriarum monumentis occurrunt Reges alienis imperiis obnoxii? quibus non eo minus data nomina legimus, cum eſſent nonnunquam verbotenus, Reges, facto ſervi aut ſervitutis inſtrumenta. Fatetur de ſe Rex Numidiæ Adherbal apud Salluſtium: *Patres conſcripti*, inquit, *Micipſa pater meus moriens mihi præcepit, uti regni Numidiæ tantummodo procurationem exiſtimarem meam; cæterum jus & imperium penes vos eſſe.* Sciens omitto quod multis ante ſæculis ſupremo Larti duodecim Lucumones Hetruſcorum paruerint, non niſi ordine & regnandi tempore poſteriores: quamquam fortaſſis operæ fuerit videre, quæ de his Virgilii Commentator Servius ad lib. VIII. Æneidos, Papinius Statius:

—vice

— vice cuncta premuntur
Alterniſque premunt, propriis ſub Regibus omnis
Terra: premit felix regum diademata Roma.

Atque hoc etiam manifeſtum eſt in Bohemiæ Regibus, item Rege Germanorum, atque aliquot ab hinc ſæculis in Regibus Italiæ: dum nimirum qui ſucceſſores imperio deſtinabantur, regio interim nomine appellari conſueverant. In Gallia fuere filii Merovingiorum, Julio Cæſare Bulengero teſte, dicti Reges; filiæ, Reginæ: quod & ſub Ludovico primo & Ludovico Groſſo filio ejus ſervatum. Patre mortuo mares Merovigiani & Carolovingiani regnum in partes ęquas dividebant. Regum titulos retinebant. Quod ſervatum ad Lodovicum uſque tertium Ultramarinum, cujus filius Lotharius in regnum ſucceſſit, Carolus minor natu Dux Lotharingiæ dictus eſt. Carpettiani exemplum ſecuti ſunt. Poſſit & de filio Regis Rege vocato apud Hiſpanos conſuli Ludovicus Molina lib. III. c. VI. §. XV. At vero quandoquidem puerilibus titulorum crepundiis oſtentandis tam impenſe delectatur, videat & Euboniæ Inſulæ, quæ poſtea Mannia dicta eſt, Reges primo paruiſſe Regibus Norwagiæ, exinde Regibus Angliæ, Johanne, & Henrico III. regnantibus, mox Scotiæ Regibus obnoxios fuiſſe, ac poſtliminio tandem ſub imperium ac ditionem regni Britannici relapſos. Vel miraculo toties mutati

tati Domini ſunt, & non interrupta parendi alienis imperiis conſtantia. Erant hi tamen Reges. Inſcriptio numiſmatum: *Rex Manniæ & Inſularum.* In hunc uſque diem quivis dynaſtæ eos pro Regibus agnoſcunt. Citat Seldenus ex Chronico Regum Manniæ fragmentum Epiſtolæ Henrici, quem ſtatim nominabam, tertii Regis Britanniæ, in qua hæc verba: *Sciatis quod dilectus nobis & fidelis Rex de Mann venit ad fidem & ſervitium noſtrum, & nobis homagium fecit:* Ita memorant diſertim Britannici annales, eos Reges fuiſſe; item habuiſſe inſignia regia, jus videlicet auream coronam geſtandi. Thomas Walſingamus ejuſdem ex Seldeni fide: *VVilhelmus Schropp emit de Domino VVilhelmo de monte acuto, Comite de Sarum inſulam Euboniæ cum corona.* Atque ut his ſimilia etiam in Saxonica domo intelligamus, notat in hiſtoria Eccleſiaſtica venerabilis Beda, durante Saxonum Heptarchia ſex ex ipſis Reges ſeptimo paruiſſe, ipſum autem ad diſtinctionem ordinum primum Regem Angliæ fuiſſe vocatum. At poſſent hæc illi ſane tolerabiliora videri, à Regibus hiſce ſua tamen regna aſſignata & propria fuiſſe perpendit. Quo vero hoc loco futurum eſt, quod Polydorus Virgilius lib. XIX. ac libro item XXIII. hiſtor. Anglic. tradit, Anglis etiam morem eſſe, ut Ducatus & Comitatus tituli dentur arbitratu Principis, etiam abſque poſſeſſione locorum,

quorum

quorum tituli conceduntur? Equidem fateor non videre me quomodo hæc aut his ſimilia revolventi vel umbra ſpei, nedum ſpes plena enaſci poſſit, ſe beneficio ejuſmodi titulorum non niſi regali jure habendas prærogativas nanciſci poſſe. Sed comprimo me, certus fore omnes ut mecum judicent, regalium ejuſmodi titulorum honores, ut ut quam maxime delatos conſtet, iſtis mortalibus nequaquam regiam majeſtatem conferre, qui neque regium, neque regni jus unquam habuerunt, & propterea regnum nec poſſident aliquod, nec aliquando poſſederunt. Faceſſant ergo in negocio tam gravi verborum inania: nemo cordatus ea curet, nemo ſapiens ea attendat, quæ credulitati illudens adulantium improbitas effutire non erubeſcit: utique non magis quam cætera his ſimilia, quæ blande affulgentis numuli illecebroſa ſpes extorquere ſolet ab hominibus quid lucelli aucupantibus, atque eo tam ſpecioſa nomina in hamum mittere ſolitis. Adverſarius, ſiquid ſapit, agnoſcat, ſe auſum ex tali antecedente efformare conſequens involaturum in ipſiſſima & ſacratiſſima jura Majeſtatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

CAP. VIII.

Verba ex Petri Damiani epiſtola, quæ præcipue urgentur, ſingulatim excutiuntur. Adelhaidis Marchioniſſa dicitur, & ad id dignitatis genus cætera nomina debent reſtringi. Excellentiſſimus non ſemper regius titulus, ſed cujuſvis eminentis pro ratione appoſiti. Mira contorſio verborum Damiani ab adverſario facta. Regiæ, Entheæ, divinæ indolis quempiam dici Regem aut Deum non facit.

SEd neque abs re fuerit, ipſam minutatim epiſtolam, aut ſaltem quæ ex ea efformantur argumenta, pauliſper excutere, quod ſi facere cuilubet, aut facientem auſcultare, confido examinato illius epiſtolæ tenore repertum iri neminem, qui non mecum judicet obtorto collo trahi, quæ exinde adverſarius profert, & majuſculis immo uncialibus typis exprimi curavit. Facile agnoſcit quivis P. Damianum cum iſta ſcriberet, ſcripſiſſe ad Duciſſam & Marchioniſſam, non vero ad Reginam. Jam indubium eſt, poſitis Ducis & Marchionis nominibus, & expreſſa per iſtiuſmodi nomina omni dignitate, cætera quæ majora, minora, æqualia ſint, atque ut verbo abſolvam, cujuſcumque alterius generis excludi, neque proinde committendum eſt, ut vel per ſomnium regali ſtatui ibi locum eſſe credamus. Quæ literis continentur de ſtatu aut dignitate ejus, ad quem ſunt ſcripta, quando ea nomini in inſcriptione adjicitur, ab hac

ipſa

ipſa inſcriptione dimetiri ſolemus, neque aliam interpretandi viam inſiſtimus, præterquam qua nos inſcriptio vocat, & velut manu ducit. Manendum ergo hic quoque cum titulis intra dignitatem Marchionis & Ducis: ultra qui progreditur, in compertiſſimam veritatem peccat. Conſtat quippe qui nunc Sabaudiæ Duces ſunt, id temporis Comites ſcribi ſolitos: conſtat deinceps quoque Comites appellatos, neque id unius ſæculi decurſu quoadusque Sigiſmundus Imperator Amedæum VIII. (quidam Pacificum, quidam Magnum vocant) Ducem Sabaudiæ ſalutavit. Hinc manifeſto elucet, omnino ſtatuendum, qualeſcumque titulos Adelhaidi Damianus adſcripſerit, ita audiendos eſſe, ut Sabaudiæ Comitem deceant: nequaquam vero (ſiquidem excuſare Damianum volumus) ita, ut intelligantur, qui Sabaudiæ Comiti omnino non potuerunt deferri citra longe fœdiſſimam rerum ac temporum prævaricationem: ut jam nihil dicam de confuſione ordinum ac dignitatum. Cujus unde clarius indicium aut conjectura certior poteſt deſumi, quam ex ipſo epiſtolæ principio: illud vero tale eſt: *Adelhaidi Excellentiſſimæ Duci Petrus peccator Monachus*. Nempe qui ſuperſcriptione, aut ſi mavis, inſcriptione Duciſſæ & Marchioniſſæ nomen expreſſerat, ut nos doceat, quis iſta dignitate præfulgentibus honorum titulus debeatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

beatur, Excellentiſſimam Duciſſam vocat. Age nunc ſentiat adverſarius, quam parum caute nobis telum porrexerit, quo vaniſſima ejus ſententia ſine mora juguletur. Nos enim hoc ipſo loco Damiani (qui cujuſcunque exiſtimationis ſit, adverſario certe teſtis eſt non reprobandus, cui ipſe denunciavit) oſtendimus, Excellentiæ titulum non unis aut ſolis Regibus peculiarem eſſe. Quandoquidem talis ac tantus vir, qui aulicarum artium peritia (egregia laus in Monacho!) præ multis eminuiſſe dicitur, Ducibus ac Marchionibus attribuit titulos Excellentiæ: nemo ultra dicat ſic illos exporrigi potuiſſe, ut ad regale faſtigium nitentibus ſui momento ſint profuturi. Me certe tam puerilis argumenti jamdudum piget: præſertim cum vel in trivialibus ſcholis pueris probro futurum ſit, ſi neſciant adjectiva nomina pro ratione ſubſtantivorum quibus junguntur augeri & decreſcere. Atque hujus quidem ordinis commodo nunc mentionem fecimus: nam & hi Ludimagiſtros ſuos Excellentiſſimos dicunt: niſi adverſarius ſcholaſticæ quoque Monarchiæ regnum condat, eo quod Horatius Ludimagiſtrum vocat *Regem pueritiæ*. Vſus & loquendi mos Senatoribus, Conſultis, Medicis aliiſque in argumentum dignitatis ac præſtantiæ addidit Excellentiæ nomen. Quid nos? ideone tales confeſtim ſummis verticibus æquatum imus?

Abſit.

Abſit. Tutius ſibi ac ſubſtantivis ſuis iſtiuſmodi adjectiva relinquemus, quam ut nugari velimus, illa in ſubſtantivorum conditionem ac ſtatum influere aut agere poſſe. Quod porro Damianus ſcribit, *ditionem Adelhaidis porrigi in duorum regnorum non breve confinium*, omnino nihil eum juvat. Non enim, quia ditio illius, ſive quia territorium, quod ut Comitiſſa vel Marchioniſſa poſſidet, duobus regnis medium interjacet, aut illa ſibi habet utrimque pro ſepimento, & in utriuſque confinio deſinit, ideo regnum vocari. Quis ditionis ſitus fuerit, inde colligas, non vero quale fuerit ipſum jus ditionis ita ſitæ. Quod ſciam, nullus in hunc diem ita à ſitu ad rem argumentum cepit, aut ut argumentetur quicquam effecerit. Aliud quod prædicatur eſt, aliud de quo prædicatur. Et poterat hoc pro leviculo haberi, niſi præſidium in eo ſibi locaviſſet adverſarius: qui illa verba; *non breve confinium*, ſic explicat, *magnam partem*: ac diſertim inquit, *eam magnam partem duorum regnorum occupaſſe*, ut probet ſcilicet autoritate Damiani regiam Adelhaidis fuiſſe ditionem. Penes omnes ſanos judicium eſto, utrum hoc Damiani cum mente conveniat, an vero turpis & frivola ſit verborum illius cavillatio. Oſtentantur & illa Damiani verba: *Abſque Regis auxilio regni pondus ſuſtines.* Hæc iterum ſic nobis obtrudit, quaſi Adelhaidis, quam ipſe Co-

mitiſſam vocat, cujus dignitatem diximus per Duciſſæ & Marchioniſſæ titulos à regalibus ſecerni, re vera regni alicujus Regina fuerit. Quæ rurſum ſpecioſa fraus eſt. Nimio minus hic Damiani ſenſus fuit. Sed vero in Adelhaide prædicat, quod arduum & ſubjectum fortunæ regendi tanta onus ſuſtineat fortiter; tantæ moli bajulandæ ſufficiens: quod ſuſtineat ipſa quæ ſexus ſequioris: quod vidua ſuſtineat inter utrimque imminentis regni ſuſpectam ac formidoloſam viciniam. Quæ ſingula ſeorſum ac diviſim ſumpta magni ac ſupra ſexum animi fuiſſe arguant, nedum ut in unum coagmentata laudationem mereantur. Atque ex hac ſcaturigine ebullit, quod laudandi alias non illiberalis aut modicus Damianus, poſtquam ſemel regiis nominibus exorſus eſt, in iiſdem perſeverat. Et ſane male decoro ſerviiſſet, ſi ad matrem laudandam à regali faſtigio verba mutuatus, eorum gratiam & ſplendorem deruiſſet, inferiora in filios congerendo. Ergo, ut videmus, Adelhaidis regiæ indolis filios dicit: idem facturus ſi heroicæ, entheæ, divinę indolis dixiſſet. Notius eſt quam ut dici debeat, in ejuſmodi verborum blandimentis unumquemq; ſibi indulgere, & parcius aut profuſius ea elargiri non pro vero ſed pro affectu. Illud autem recte ne fiat an ſecus, meum non eſt inquirere. Saltim in Eccleſia verſantibus hominibus eo minus

inde-

indecorum putatur, quo ſeſe ſimplicius affectus ille nobis inſinuat humilitatis prætexta velatus: quique præterea ex eo quod ancillantem aut parariam habet neſcio quam charitatis ſpeciem, minus gravatim admittitur. Sed non admittitur ideo quia aliquid dignitatis aut meriti conferre alicui, qui ea non habet, poſſit: neq; hæc unquam ei facultas fuit: Nam illud pœne noluimus dicere, quod homini haud inepto aut faceto excidere poſſet, unum teſtem, teſtem Monachum (nondum enim, ne cui hoc imponat, Cardinalis erat) ſeculárium rerum imperitum, in cauſa tanti præjudicii, in iis, quorum ignorationem profitetur & laudi ducit, teſtimonium alicujus ponderis, nullum edere poſſe. Illud vero non prætermittendum, titulorum (vel adverſario fatente) iſtis temporibus ſummam fuiſſe intemperantiam, diſcrimen fere nullum: nedum ut ſubtiliſſimæ diſtinctioni, quæ nunc eſt, aliquo genere par fuerit. Nunc tutius eſt piaculum committere & religionis violare ceremoniam, quam in leviſſima titulorum confuſione peccare.

CAP. IX.

Adelhaidem à P. Damiano vocari Duciſſam & Marchioniſſam, item potentiam ejus celebrari non reſpectu Comitatus Sabaudici, ſed Marchionatus Saluciarum & tractus Pedemontani, & ut ſocrum Imperatoris. Vera etiam cauſa indicatur, cur regiæ indolis Adelhaidis filios dixerit.

TEmpus eſt ut excuſſis hunc in modum epiſtolæ verbis, etiam videamus an ad ſtabiliendam veritatem quid conferre poſſit illorum temporum hiſtoria. Ea nobis facem prælucente demonſtraturum me ſpero, quam Damianus ſcripſit, quamque ab adverſario jactatam epiſtolam nunc examinamus, ſcriptam eſſe quidem ad Adelhaidem, ſed non ad Adelhaidem, ut Comitem ſive Comitiſſam Sabaudiæ. Quod ſi præſto, uno ictu decretorio velut inciſo poplite, quæcumque tanto cum apparatu ex hac epiſtola deduxit, in ſe ruent. Non negat utique adverſarius viduam id temporis Adelhaidem fuiſſe. Bene habet: ſed dicatur ſodes, quod ille tempeſtive tacuit, cujus vidua fuerit. Num Amedæi Sabaudi? immo fuerat: eratque nunc ſecundo vidua Othonis Marchionis Italici, ſive Saluciarum: Suſcepta ex iſto Othonis cum Adelhaide matrimonio erat Bertha: quæ jam ante, quam Epiſtola ſcriberetur à Damiano anno ſcilicet ſeptimo & ſexageſimo ſupra mille-
num,

num, denupſerat Henrico IV. Imperatori, Henrici III. pariter Imperatoris & Burgundiorum Regis filio. Hinc factum ut Damianus quem ſub annum milleſimum & ſexageſimum claruiſſe dicit adverſarius, Adelhaidem non Comitiſſam, ſed à demortui mariti dignitate ac ſtatu Marchioniſſam vocaverit. Nec ulla cauſa poſſit dari, cur ad prius illud cum Amedæo Sabaudo matrimonium, cum iſta exararet, Damiano reſpiciendum fuiſſe putemus, aut reſpexiſſe credamus. Cum enim illud jam ante tot annos morte ſolutum eſſet, etiam ejus intuitu ſibi debitos honores ipſo facto jam à ſe Adelhaidis abdicarat, in alterius viri manum conveniendo, & ſic in aliena ſacra tranſeundo. Eandem itaque poſtmodum ſecundo factam viduam Damiano compellandam fuiſſe pro illius temporis conditione ac ſtatu nemo ambigat. Ita in hanc rem Andreas Quercetanus in vita Amedæi ſecundi Lib. IV. Hiſtor. Burgundicæ: *Ab exceſſu illius* (Amedæi) *nupſit illa* (Adelhaidis) *ſecundis nuptiis Othoni Marchioni Italico, ſive Saluciarum* (Gallice Saluzzes.) Ex illo matrimonio procreata Bertha eſt, quæ anno cIɔ LXVII. Henrico IV. Imperatori, filio Henrici III. Imperatoris & Burgundiorum Regis, nupſit. *Vnde ſequitur* (verba ſunt ejuſdem Quercetani) *ad minimum jam ante annum milleſimum & quinquageſimum aut circiter priorem illius maritum vivere diſiiſſe.*

Neque enim aliter ex ſecundo matrimonio filiam ſuſcipere potuiſſet intra ſeptendecim plus minus annos ab illius è vivis exceſſu viro elocandam. Hæc ille. Preſſius ut urgeam, adducere lubet ſuper hac ipſa Damiani epiſtola diſſertantem Quercetanum. Verba illius è Gallico à nobis Latinitate donata ſic ſonant: *Petrus Damianus Cardinalis, qui illi* (Adelhaidi) *coætaneus fuit, perquam pulchram ei epiſtolam ſcripſit circa annum à milleno ſeptuageſimum: qua docemur ipſam jam tum quoque viduam fuiſſe, neque Maurianæ duntaxat tenuiſſe comitatum, ſed & imperaſſe toti Pedemontium tractui, qui ad ipſam exempto rebus humanis Manfredo fratre* (Marchione Seguſienſi) *reciderat.* Ex his hiſtorici verbis ſatis liquidum eſt, cur Adelhaidi Ducatus & Marchionatus tituli à Damiano fuerint attributi, nempe nullo Sabaudici aut Mauriani Comitatus intuitu. Neque profecto in tanta fortuna creditu pronum eſt minora majoribus antelata fuiſſe: æque creditu difficile eſt, Adelhaidem æquo animo id fuiſſe laturam: utpote quæ non jam intra Maurianæ Comitatus terminos anguſtis finibus incluſos ſe contineret, ſed aucta poſterioris mariti ditionibus & honoribus, regiis & Cæſareis affinitatibus innexa, ad hæc beneficio generi, & certiſſimarum hæreditatum ſucceſſione, ſi ſuperfuiſſet, longe majorem potentiam indies ſperaret, & ab omnibus acquiſitura facile prævidebatur. Et reſpondit

even-

eventus, quem ex Quercetano cognoſcamus. *Notat*, ait ille, *Lambertus Schaffnaburgenſis, eam* (Adelhaidem) *Cenuſii ditione (unde fortaſsis nomen ſuum Ceniſio monti profluxit) auctam, ſub annum* LXXVII. *à milleno. Beneficium id datum Henrico* IV. *Imperatori illius genero, quem ajunt è ſuperiore Burgundia per illas oras Romam verſus, ut diris quibus devotus erat ſolveretur, ad Gregorium ejus nominis* VII. *Pontificem iter inſtituiſſe. Tandem quoque hæreditario jure ab exceſſu ſororis Imolæ ipſi Adelhaidi Taurinenſis Ducatus obvenit. Refert Pignorius eam annum circiter* LXXVIII. *Taurinum intraſſe.* Hæc Quercetanus. Cujus autoritatem eo potiorem habendam judico, quo ipſe candidior eſt & exactiſſimus in eruenda veritate, quam paſſim ſolidiſſimis ac fide digniſſimis munimentis firmat. Quin & ipſe ab omni privatim ſtudio partium liber, atque omnia iſta Sabaudicorum ſcriptorum (inter quos non poſtremus mox allegatus Pignorius) teſtimoniis ſtabilit. Ad ſatietatem ergo jam docuimus, quid hiſtoria viam monſtrante ſentiendum ſit de titulo Excellentiæ, quem Adelhaidi tribuit epiſtola Damiani, quomodo accipiendum quod ditionem ejus regni voce honoraverit. Unum reſtat ut doceamus, memoratæ ſæpe nobis Adelhaidis reſpectu, non vero Patris eorum Amedæi I. Maurianæ dum viveret Comitis, filios Adelhaidis regiæ indolis filios appellatos à

Damiano. Quod ipſum etſi ex prædictis ſatis claret, tamen ex ejuſdem hiſtorici narratione facile oſtendam, Damianum inſuper cum iſta ſcriberet, ob oculos habuiſſe beneficia Cæſaris, quibus tum recenter Amedæus II. Adelhaidis ex Amedæo primo filius erat ornatus. Quercetanus: *Henricus IV. gener Adelhaidis, quæ Amedæi primi matrimonium tenuerat, dein ſecundis votis ex Othone Bertham pepererat, Henrico collocatam, cum viſeret Amedæum ſocrus ſuæ filium, perquam honorifice ob illo exceptus eſt. Sed enim tranſitum per illius ditionem petenti Imperatori denegavit Amedæus: nec ejus copiam facturum ſe ei profeſſus eſt, niſi in redhoſtimentum hujus officii acceptis quinque Epiſcopatibus, qui ditioni ejus forte adjacerent. Perquam durum id primo Imperatori videri: Amedæus contra propoſiti tenaciſſimus neque recens contractæ neceſſitudinis vinculo vel hilum moveri, neque miſeriis quidem & ærumnis, in quas quam indigne deveniſſe affinem videbat, tangi. At Imperator cum quovis modo tranſitus licentiam ſibi redemptam vellet, omnibus fruſtra tentatis, multo etiam tempore per irritas deliberationes extracto, ægre tandem obtinuit, ut pro conceſſo, quem dixi, tranſitu Amedæus aliqua Burgundiæ Provincia contentus eſſe vellet. Cujus tamen nomen annales tacent, forte quod exigua eſſet, utcunque opima atque affluens rerum neceſſariarum copia fuiſſe perhibeatur.* Hæc illa. De meo nihil adjungam. Videt hic Lector tanquam in ſpeculo illos autori noſtro

totiens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

totiens citatos regiæ indolis filios: Videt in domo Sabaudica quæ prima regalium incrementorum ſperandorum fuerint auſpicia: Videt alia nobis non obſervanda, quia quanto plus veritatis habent, tanto plus invidiæ minuſque utilitatis habitura facile judicatu eſt.

CAP. X.

Oſtenditur, ſi maxime concedatur adverſario filios Adelhaidis fuiſſe regiæ indolis, item Sabaudicam domum à Saxonia deſcendere, tum non debere nimis curioſe in vetuſta illa inquiri, nondum tamen titulos regios Sabaudis Ducibus deberi probatum. De antiquitate quæ ad nobilitatem requiritur, non ad Majeſtatem, iterum diſſertatum. Reſpondetur ad loca quibus evincere vult adverſarius, Excellentiſſimi titulum regium illis temporibus fuiſſe.

SUpereſt ut quam in ſuperioribus obſtrinxiſſe memini, fidem meam nunc liberem, & adverſarium ſua ab ipſis velut nobilitatis incunabulis exordientem, rationibus itidem è penitiſſimo ejuſdem ſinu petitis ſic confundam, ut etiam conceſſo (quod ſecus eſſe ſupra jam demonſtratum eſt) eandem Nobilitatis & Majeſtatis rationem naturamque eſſe, nihil tamen inde præſidii pro ejus poſitione acquiri poſſe appareat. Sumat ergo tria hæc (veritati interim nihil volumus detractum) tanquam vera, tanquam majoris fidei quam ipſe eſt. Primum filios Adelhaidis & Amedæi tales fuiſſe, quales Damianus appellat, regiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

indolis filios: ſecundo recte nonnullos de Saxonicæ gentis primordiis ad Saxones referendis eſſe commentatos: poſtremum ſiquidem eorum neutrum ſufficienter probari poteſt (ut certè non poteſt illud, quod Sabaudi à Saxonibus orti) etiam ex æquo & bono debere nos in tanta antiquitate veritatem ſubſequi aliquanto ſolutius. Quicquid poſuerimus, nihil acturum affirmamus. Primum quod attinet, habet permiſſu noſtro inconcuſſum præcipuum cauſæ ſuæ fulcrum, illos regiæ indolis filios eo loco habendos, ut ipſis regium nomen ac cum nomine regalis inſuper dignitas ac prærogativa competat. Sed expediat nunc mihi viciſſim, quid de eorum majoribus dicendum exiſtimet. Ergone & ipſis tituli regales debentur, regalia jura deferenda ſunt? Atqui ſilent hic literarum monumenta. An dicet eos tantum ſplendoris à filiorum gloria mutuatos? Atqui abhorret omnino genuinæ nobilitatis natura ab ordine retrogrado, adinſtar illa gravium corporum tendere deorſum ſolet, non elevari, in aſcendentem lineam moveri, attolli. Tum inauditum huc uſque eſt, ut pater à filio ſuo dignitatem, cujus ipſe pro ſe eſt expers, ſumat velut mutuam: quaſi dicas ſolem à luna radiorum ſuorum jubar mutuari. Qui ſumma largiri volet, fateatur fortaſſis, ſplendorem filiorum nomini paterno lucem aliquam fœnerari, ut

aut

aut externo cultu afficiatur, aut illud notius celebratiuſque ſit; quod totum tamen à benigna hominum interpretatione dependet, non juri vel inſitæ qualitati innititur. Vt vero titulorum maximi, dignitatis ſumma, vertex Majeſtatis non mediante aliquo filiorum jure vel facto, per ipſos tantum poſſidendo tranſeat ad patrem, eumque defunctum, nemo dixit. Jam ad Beroldum Saxonem ſi convertimur, & illum Sabaudicæ gentis autorem eſſe permittimus, (quod fieri non poſſe ante dictum) dicturi cum Philoſopho ſimile à ſimili generari, aut cum Poëta, Bonos & fortes creari fortibus & bonis: quid inde? Jam ab ipſo ſtatim principio fatendum eſt, Beroldum Saxonem nunquam privatam conditionem exceſſiſſe, ſiquidem fides adhibenda eſt Lipomanno. Et habendam eſſe ſponte ſucclamabit adverſarius, qui ejus teſtimoniis mirum quantum exultat. Fatendum erit, ſic tradente eodem Lipomanno, Vmberto Beroldi filio ob paterna merita datum fuiſſe Comitatum Maurianæ. Fatendum erit, quod jam antea evicimus, quibus temporibus Damianus ſcripſit, Vmberti nepotes nudos Maurianæ Comites fuiſſe. Vbi ergo hic regii nominis tam ſuperciliosa oſtentatio? utique ſi regiæ indolis filii propter majorum regna intelligendi ſunt, arceſſendum hoc eſt à laude gentilitia, id eſt, tali quæ totam gentem ex

æquo

æquo concernat, ad principia nobis recurrendi neceſſitas imponitur. De nobilitate quidem quotiens eſt quæſtio, regulæ atque axiomatis habet locum, eam à ſplendore ſive claritudine familiæ conſtitui, quæ ſemel incepta à patre, ad filios propagatur, à filiis ad nepotes tranſmittitur, à nepotibus ad

Natos natorum & qui naſcentur ab illis,

perpetua ſucceſſione continuatur, indies, ſi detur provehenda in majus: id ſi non licet, quo eam acceperint ſtatu religioſe ſervanda. Sed nobilitas, ut incipit, ita continuatur, tranſmittitur, propagatur, & manet nobilitas, licet ſerie perſonarum & donatione ſemper illuſtrior: Majeſtatem ex ea naturali decurſu naſci & regalis nominis prærogativam ſanus nemo in hunc diem perſuaſit, nemo credidit: Quin etiam valeat hoc ita tantiſper, & liceat adverſario à nobilitate ad Majeſtatem regiam argumentum formare, nulli futurum uſui, cum ne ſic quidem vicerit. Poſtquam nobilitas eo uſque progreſſa eſt, tot annorum ætatem accepit, ut in Majeſtatem excreverit, illi ſane qui tanto decore gaudent, cum poſſeſſionum ſuarum ſucceſſione non nobilitatis modo, ſed & regiæ dignitatis honorem ad poſteros ſuos derivant. Cum enim in principatibus ejuſcemodi hæc quoque hæreditaria ſit, cauſa non poteſt dari cur minus juris transferatur in univerſalem hæredem, ſacrorum quoque

que ſucceſſorem, quam defunctus habuit. Si ergo Adelhaidis filii, dum regiæ indolis vocantur, vetuſta gentis ſuæ nobiliſſimæ gloria hoc promeruiſſe oſtenduntur, ut perfecta jam Nobilitas in Majeſtatem tranſiret, qui exceperunt eos haud dubie Reges fuerunt, & regalibus honoribus ſunt culti. Atque hos jam produci atque enumerari omnino è re Sabaudiæ Ducum fuerit. In quo quia deficimur, planum nec ullos tales fuiſſe, qui, quod non habuerat deceſſor eorum, caperent, nec illos Adelhaidis filios fuiſſe Reges, aut regalibus honoribus cultos, nec quod regiæ indolis dicuntur, id Majeſtatem in ipſis regiam ſignificare. Nobilitatem, ut vulgo notum eſt, antiquitas non alio modo potentius tuetur, quam quod in illius primordia ſollicitius inquirentibus multam noctem obducat, & Cimmerias aut Ægyptiacas, ſive quæ his ſpiſſiores fuerunt, tenebras prætexat. Largus ergo tam benigna occaſione quidlibet ex quolibet comminiſcendi ac fingendi campus hic aperitur, ut niſi quis omnino ἀσύστατα dicat & ἄλογα ac prorſus

Delphinum ſilvis apponat, piſcibus aprum,

nullo prorſus fine claudatur ac coërceatur. Jam olim Seneca vetabat nos ab illis decipi, qui cum majores ſuos recenſerent ubicumque defecit nomen illuſtre, illo Deum infulcirent. Scio etiam apud bellos homines & rerum

rerum humanarum æſtimatores non nimis exactos, ſi qua veris interſerantur à vero aliquantum diverſa, admitti identidem, & tanquam non deprehenſa præteriri ſolere. Ac proinde nihil uſurpatius quam prima nobilitatum exordia non poſſe, utique non debere expendi, velut in puncto aut acie novaculæ. Ea tamen ratio, ubi res prout ſe habet in diſceptationem venit, ubi veritatis certamen cernitur, ſpecimen ſpecitur, ut cum Comico dicam, attendi non poteſt. Ariſtoteles, quem communis naturæ habemus oraculum, & ſuopte ingenio & merente nobilitatis conditione ei addictiſſimus, dixit alicubi, nobilitatem agrorum fertilitati ſimilem, quos modo videas uberiore frugum proventu luxuriantes, modo ſqualidos ac præ ſterilitate incultos & deſertos. Sed quid iſta juvant? etſi non nimis auxie infantiam & ἀκμὴν nobilitatis ſcrutemur; etſi nonnulla quoque prætermittamus, quæ ſcimus referri prout ſe habere fortaſſis poſſent, non ut res eſt; quamvis denique nos præſtemus benignos, illud perſpectiſſimum eſt in hoc tantum regio faſtigio & nobilitati diſconvenire, ut nihil tempori, nihil antiquitati, nihil rerum mutationibus dari poſſit. Qui non habet habuitve regnum regnive jus, eum ut nobiliſſimus ſit, ut maximus, ut regia indole præditus appelletur, ut poſſeſſiones ejus atque ditiones regni inſtar eſſe dicantur,

cantur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

cantur, iſta ſpecioſa ac turgentia nomina non magis ex non Rege Regem facient, quam aut umbra conſtituat corpus, aut habitum efformet privatio. Mantiſſæ loco ſit ſubtilius limare autoritates illas quibus titulum Excellentiæ unis Regibus aliquando tributum confirmare voluit. Quamvis enim totum hoc confutatum ſit pridem, & ultro in iſto errorum cumulo hæc quoque ſe portiuncula ſubruat, ut ſatis ex ipſis, quæ citavit, appareat, quæ dicit tueri non poſſe: tamen operæ pretium eſt omnem ejus nuditatem proſtituere. Quid ergo quod adfert? Nempe Ivo, Fulbertus, Stephanus, alii cum ad Reges Galliæ aut Angliæ ſcripſerunt, Excellentiæ titulo uſi ſunt. Quaſi non conſtet eoſdem bonos viros (quibus ſua authoritas ſalva ſit) æque liberaliter, æque ſine delectu aliis ad eoſdem Reges titulis uſos, at qualibus? qui non modo unis Regibus debeantur, ſed vel cuivis ex infima plebe conveniant, imo ne quidem negari poſſint ulli poſtremi ordinis. Lippis (quod ajunt) ac tonſoribus notum eſt, projectiſſimæ ſortis ac conditionis homines cum epiſtolas ad amiculos deſtinant dilecti, dilectiſſimi, dulciſſimi titulos, & qui ſimiles ſunt, inſerere conſueviſſe. Qui ſane ſi non deberentur iſta nomina niſi ſolis Regibus, eſſent in Regum Majeſtatem non leviter injurii. Si ergo hunc vel illum titulum Regibus dando, velut lege

roga-

rogarunt, nemini alius generis eum dari debere, Ivo Carnutenſis, Fulbertus, Idelbertus, & cæteri, cum iidem Galliæ & Angliæ Reges dilectos, dilectiſſimos, ſemper diligendos, glorioſos, doctiſſimos, dulciſſimos, piiſſimos, benigniſſimos, venerandos vocant, eadem opera regios illos uniſque Regibus debitos titulos dicemus. Non alios hic pro me teſtes advoco, quam quos ipſe adverſarius; in quorum ſcriptis hæc tam crebra occurrunt, ut ipſum eorum autoritate uſum demirer. Niſi forte ſperavit futurum, ut latere iſta poſſent ac pro veris tranſmitti, quod non ſunt ita obvia illorum ſcripta, & fere quæ illius ſæculi ſunt, apud noſtros homines negliguntur. Quicquid ſit, quamvis quæ allegavit, ita exſtarent, quamvis etiam multo plures epiſtolæ his præſcriptionibus reperirentur, nemo tamen cognita & perſpecta veritate eorum, quæ ex iiſdem adduxi, temere hiſce movebitur. Nam hoc jam ante diximus, ut noſtro tempore nimis ſubtiles ſunt homines Politici in iſtis titulorum corticibus tribuendis, ita illo ſæculo fædiſſimam horum confuſionem fuiſſe, ut ignarus penitus temporum videatur, qui illorum præjudiciis & autoritatibus nunc diſtincta miſcere, quodque tum ſine delectu datum ſit, vindicare contendat.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

CAP. XI.

Excellentiſſimi titulum Sabaudo tributum ab Eugenio IV. & Innocentio VIII. Pontificibus, non æquare illum Regibus. Vera cauſa, cur uterque hoc uſus ſit, indicatur.

REgium igitur illum (ut putaverat) Excellentiſſimi titulum non à Damiano, modo ex Monacho mox Cardinali tributum Sabaudiæ Comiti ait adverſarius, ſed ab ipſis etiam ſummis Pontificibus. Hos etſi brevibus ſuis lingua Latina ſcriptis Reges Excellentiæ titulo inſigniant, tamen eodem compellaſſe Sabaudos Duces: patere hoc exemplis, Eugenii IV. & Innocentii VIII. quorum prior ad Amedæum VIII. anno cIↃ CCCC XXXIII. ſcribat: *Intelligimus Excellentiam tuam miſiſſe ſuos Oratores:* Item: *Nos enim quantum poterimus recognoſcentes merita tua, quantum cum Domino poterimus, ſtudebimus Excellentiæ tuæ placere*: Poſterior ad Carolum Ducem an. cIↃ CCCC LXXXVII. *Hortamur Excellentiam tuam paterno affectu.* Item: *Hortantes inſuper Excellentiam tuam.* Tandem illius quod jam ante adſtruxerat iterandi occaſione capta velit, ut concludamus, domum Sabaudicam quippe jam tot à ſæculis regio in honore habitam ab Romanæ Eccleſiæ præſulibus, eodem in honore porro haberi debere. Hæc adverſarii argumentatio, quæ etſi jam ante ceciderit probato Excellentiſſimi ti-

tulum peculiarem Regibus non eſſe, tamen eam in ſe qualis ſit, conſiderabimus. Pergit enim ingenio ſuo uti & arripit, quaſi jure, rem nullo modo probabilem: Pontifices maximi cum ſic ſcripſerunt ad Sabaudiæ Duces, aut hoc ideo fecerunt quod hoc titulo illos ut ordinario & debito compellari opinarentur, aut quod eum cum non haberent, in poſterum deferri vellent, cæteris tantum exemplum facile imitaturis. Atſi prius ſtatuitur, nihil profecerit. Poſito enim, non dato, Regibus Excellentiæ titulum deberi, nihil certius quam nudis Maurianæ Comitibus, ut talibus neque regnum ullum poſſidentibus, regiam qualitatem competere non potuiſſe; ac proinde ſolâ opinione Pontificis, nullo alio actu interveniente, ut meritum non conferri. Quoniam enim ab Imperatore impetrandum fuit, ut Duces haberentur, palam eſt non potuiſſe propria autoritate titulos & nomina dignitatum Regibus propriarum (quod ſcilicet majus eſt) involare: nec habuiſſe igitur ut juſte à Pontificibus ſic accepti viderentur: quamquam ex quo Duces creati fuerint, evaſerint ſublimiores & titulis etiam Comitum gradum exceſſerint, pro ea quæ inter utramque dignitatem proportionis eſt analogia. Poſterius ſi placet, jam nulla eſt Sabaudorum Ducum ante id tempus quaſi poſſeſſio. Erit vero operæ, ut aliquam temporum ac rerum geſta-

geſtarum ducamus rationem. Dico è brevibus illis Pontificiis priora duo ſcripta eſſe ad Amedæum jam Ducem, & Moreæ ſeu Peloponnenſi atque Achaiæ principatum tabulis teſtamenti adeptum: tertium ad Carolum dirigitur à morte Carolottæ Cypriæ, Cypri regnum ſibi dudum deſtinantem. De utroque annalium prompta fides. Amedæum quod attinet, ille jam ante ſedecim annos Dux creatus fuerat: ante quatuordecim ſimiliter annos dictos Principatus erat aſſecutus: ita ut non aliter quam ad Ducem & Principem fuerit ſcribendum. De Carolo non eſt ut laboremus: fatetur ipſe adverſarius, breve hoc Pontificium quod adduxit, ſcriptum eſſe poſt mortem Carolottæ. Non etiam de nihilo eſt quod Pontificum commemoratione facta, non aliis utitur quam Eugenio IV. & Innocentio VIII. Cur ergo? utrum quia non exſtant aliqua ante eos brevia à Pontificibus ad Sabaudos data, an quia in eis Excellentiæ verbum non reperitur? Vtrum libet, dixerimus, adverſarium ſtringet. Si vult, nulla ante id tempus brevia Pontificum exhiberi poſſe; ubi illi regnum, ubi regale nomen, non uno ſæculo, ſi credimus, poſſeſſum, tranſmiſſum, propagatum? Adeone in obſcuro egere Sabaudiæ Duces, ut Apoſtolicæ ſedi, ut ejus Præſidi vixerint inobſervati, latuerint inhonori? Fateatur potius, quæ ante miſſa inve-

niantur brevia, Excellentiæ vocem non habere. Et ſic vicimus, eruntque longe firmatiſſima, quæ de quaſi poſſeſſione mox dicebam. Jam rerum geſtarum relationes mirari nos vetant Sabaudiæ Ducem ab Eugenio (quem videmus Excellentiæ, Celſitudinis, &c, nequid deſit, Serenitatis titulis uti) tum benignius habitum. Odium in oculis Pontificis erat Baſileenſe concilium, quod omni modo cupiebat impediri, altero quoque Ferrariæ indicto. Hoc rerum ſtatu Pontifex ab omnibus, etiam invalidis, auxilium ſumpturus, non modo ad Amedæum Sabaudiæ Ducem, ſed ejus filios, immo Conſiliarios privatim ſcripſit. Neque id mirum: agebatur enim non de glande legenda, aut de tigno injuncto, ſed de vita & dignitate Pontificis Maximi, evulgato horribili dignitatis arcano, Pontificem eſſe infra concilium. Accedebat quod Amedæum ſuſpectum haberet Eugenius, in officio autem contineri omnino optaret, magnum nunc jam & ideo metuendum. Quod eventus comprobavit, cum non multo poſt Amedæus ab eremo & ſolitudine ſua revocatus in Papam electus fuerit. Ac etſi idem poſtmodum ultro deceſſerit, unde verſiculus,

Lux fulſit mundo: ceßit Felix Nicolao:

eo tamen apud Pontificem tunc temporis loco erat ut quem opprimere aut nollet, aut non poſſet, omnibus modis ſibi adjungere cona-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

conaretur. Hinc illa titulorum tam opima ſeges, neceſſitati magis & noviter quæſitis dignitatibus imputanda, quam ullo antiquo juri Sabaudiæ Ducum. Et quamquam recentiora ſint illa tam Eugenii quam Innocentii, nec ad firmandam profundam illam antiquitatem, quam adverſarius obtendit, quicquam conferre poſſint: videmus tamen ex his ipſis non tanti habitos Sabaudos Duces, quanti narratur. Eodem contextu quo legitur Tua Excellentia, ſcribi videmus Tua Nobilitas. Omnino vidit, certe videre potuit autor Sabaudicus, Eugenium literis Ferraria datis anno cIↃ CCCC XXXVII. ita ſcribere ad Sabaudum Ducem, Nobilitati tuæ; vocari Principem nobilitate inclytum: atque etiam Celſitudinis illi epitheton largiri. Idem Eugenius ad Ducis filium ſcribens, Ducem Sabaudiæ nobilem virum vocat: quo nomine eum ſimiliter inſignit literis datis ad Conſiliarios dicti Ducis: & quæ his ſimilia occurrunt. Illuſtri documento dicta ſunt, neque tum temporis definitos ordinatoſque fuiſſe honorum titulos, neque etiam titulum Excellentiæ ejus fuiſſe ſplendoris, ut non niſi Regibus aut iis qui uno cum Regibus ordine cenſentur, conveniret. Illud vero lepidum eſt nec leviter exponit adverſarium, quod dicit Pontifices brevibus Latine ſcriptis, quam raro ad ipſos Reges uti verbo Excellentiæ, quos tamen videas

id uſurpare ad Sabaudiæ Ducem. Utique quia omnino id vult & pertendit, aliquid habet ſignificationis illa Excellentiæ vox: ſed profecto ambiguæ, & eligendum ipſi alterutrum: Aut enim dicendum eſt, ſic præ cæteris eximium Pontificibus habitum fuiſſe Sabaudum, ut quæ in Reges non niſi parce ac raro confert, ei larga manu admenſa voluerit: aut Pontificem à Regibus eum aſſignando Excellentiæ titulo ſecreviſſe. Prius ſi dicit, injuria fit Pontifici, aut ratio iſtius judicii danda. Sin poſterius fatetur, id quod verum eſt fatetur: neque aliud majus argumentum, quam quod ipſe adducit: nempe Pontificem cum ad Reges ſcribit, uti verbo Majeſtatis: cum ad Ducem, Celſitudinis, Serenitatis &c. Vnde conſtat Pontificem nolle titulos dignitatum confundi. Quod ſi non vult, omnino verum eſt, Pontifices quoties Majeſtatis verbo ad Reges utantur, ad Duces vero Excellentiæ, Serenitatis, aut ſimili, hoc ipſo Duces Regibus inferiores ſtatuere: tantum abeſt, ut pro Regibus habeant, aut Regibus æquent. Quippe gnari tanto Regis & regni nomen ſuperare nomen Ducatus aut Ducis, ſi utrumque in ſe conſideretur: quanto Celſitudinem vincit Majeſtas, quanto Rex magnus regulum aliquem ſub Rege.

CAP.

CAP. XII.

Nobiliſſimi qui dicerentur ſub poſterioribus Imperatoribus. Quod Petrus Cluniacenſis Sabaudiæ Ducem nobiliſſimum vocat, non æquat eum Regibus, multo minus jure eum regio donat. Epiſtola ejuſdem Cluniacenſis excutitur, & levitas illius teſtis oſtenditur.

COnſiſtamus jam cum altero adverſarii argumento, quod exſtruitur è titulo Nobiliſſimi. *Regum filii*, ait, *qui quod imperio ſucceſſores deſtinati eſſent, in tantas ſpes educabantur, dicti Nobiliſsimi.* Hoc autoritatibus confirmat; & inde ad Sabaudum convertitur. Hunc à Petro Cluniacenſi Abbate jam ante quadringentos ac nonaginta annos nobiliſſimum vocatum. Tandem ut infixo aculeo diſcedat, ex hoc ungue jubet agnoſci leonem, & argumenta inſtitui, qualia jam nunc & quanta fuerint, quæ iſta gens mereretur. Perinde ac ſi venerabilis ille Præſul Duci Sabaudo non alia de cauſa, quam quod eum Reges, avos, atavoſque multa virga deducere, nil niſi regium cogitare audireque velle ſciret, Nobiliſſimi titulum indidiſſet. Prius illud quod ſumit, verum in parte & dignum concedi: idque titulo etiam addito, ab illo Nobiliſſimi ſuperlativo ficta voce, qua nobiliſſimorum dignitas & conditio exprimitur, Nobiliſſimatum appellatum, ut apud Zozimum lib. II. qui Zozi-

mus in Conſtantino nobiliſſimum & Cæſarem habet pro iiſdem in veteri inſcriptione: *Conſtantinus victor ac triumphator ſemper Auguſtus, & Iulianus Nobiliſſimus Cæſar.* Sed de his plura qui deſiderat, ea quærat apud Cæſarem Bulengerum de Imperatore Romano Lib. II. c. IX. Adverſarii hic iterum aut mira impoſtura aut imperitia eſt: *Regum filii*, inquit, *dicebantur nobiliſſimi.* Hoc nemo unquam ſic dixit, neque uſpiam reperitur, Reges in hunc titulum filiis ſuis dandum pactum ſive conſtitutionem feciſſe. Sed nobiliſſimi illi in Romanorum Imperatorum conſpiciuntur hiſtoria, erantque re vera vel electi vel geniti ad ſummæ fortunæ ſucceſſionem; nec conſtituebantur niſi ab Imperatore, hoc eſt, eo qui haberet jus ſummæ poteſtatis. Quod cum ex aliis, tum ex Rufini loco patet, quem pro ſe citat: ubi dicitur, *Valentinianum à Patre Nobiliſſimum factum*, qui patre moriente nondum regiis inſignibus eſſet initiatus. Creabantur additis nonnullis ſolennibus: ut apud Diaconum Nicetas ſuperimpoſita Chlamyde, & corona aurea: ut & Annibaliano Conſtantinus magnus cum Nobiliſſimatum dedit, permiſit ut veſte purpurea aureis fimbriis ornata uteretur. Non erant abſoluti Reges, ſed ſub Imperatore, cui æque parebant ac cæteri Palatini, niſi quod proximam ſpem habebant ſucceſſionis: cujus voluntate rurſum poterat eis

eis nobiliſſimatus eripi, ipſi poterant impune occidi. Quod certum eſt cogitaſſe Conſtantinum Imperatorem Iuliano, niſi hic exercitum habuiſſet addictum, ille morte eſſet præventus. Comparemus hæc cum Duce Sabaudo, quem adverſarius fingit nobiliſſimum. Quis eum nobiliſſimum fecit? aut qua in hiſtoria lectum eſt, electum eſſe Sabaudum, ut Cæſar ſeu Nobiliſſimus & Succeſſor Imperii eſſet? aut ſi unquam quis lectus eſt, quid hoc ad poſteros? Neque enim nobiliſſimatus familiæ dabatur, ut de ſtirpe in ſtirpem tranſmitteretur: ſed erat dignitas perſonalis. Quæ, ſi Imperator non haberet liberos (nam hi non poterant non omnibus præferri) conferri poterat in hominem infimum, qui virtute ſe aut obſequio extulerat, & charum Imperatori reddiderat, ut cæteræ dignitates Palatinæ, quę ab unius nutu pendent, præſentis

vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos.

Deinde ſequitur hic commentum ineptiſſimum & inauditum, Sabaudiæ Duces perpetuo manere Nobiliſſimos, hoc eſt, eſſe ſub Domino, qui honoris, vitæ neciſque in eos habeat poteſtatem, habere ſemper ſpem ſucceſſionis in Imperium, quam nunquam conſequantur. Quandiu enim Nobiliſſimi ſunt, Imperatores non ſunt. At alii Nobiliſſimi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

poſt Imperatoris exceſſum ipſi fiebant Auguſti, & Nobiliſſimi eſſe deſinebant. Videt adverſarius quam imprudenter, quam imperite, quam ſtolide impoſuerit perſonam Duci ſuo, quam ſi ſapit, cum ea, quam nunc habet, mutare nolit. Infinita ſunt communem ſenſum evertentia, quæ ex ſtultiſſimo hoc palpo educere poſſemus, niſi nos tæderet nugarum. Si jam tum nobiliſſimus fuit Dux Sabaudiæ, unde illa incrementa quibus etiamnum gaudet? cur tamdiu intra Comitatum ſubſtitit? cur Dux appellari pro magno habuit? Equidem bonus ille Cluniacenſis an eo uſque fuerit antiquitatis peritus, ut quod nunc omnes ſciunt mediocriter docti, ſciverit eam olim nobiliſſimi dignitatem fuiſſe; certe ſive ſcivit, ſive neſcivit, nunquam ad ſummam ſtuporis ita perfecte pervenire potuit, ut noſter adverſarius: hoc eſt, illo ſenſu Sabaudum dicere nobiliſſimum. Et tamen ſi hoc ſenſiſſet, jam ante dictum eſt, tantam eo ſæculo titulorum fuiſſe confuſionem, ut qui ex illis argumenta deducere ſe velle exiſtimet, idem agat, quod qui, ut eſt apud Comicum, rem quæ neque conſilium neque modum in ſe habet ullum, conſilio regere velit, ac tandem cum ratione inſaniat. Equidem ut primum videbam ſpecioſum nobiliſſimi nomen adferri, atque ad Sabaudum Ducem tanquam Regibus parem applicari, exſpectabam ſecretam aliquam ac laten-

latentem hiſtoriam erui, carioſas atque à tineis & blattis exeſas membranas produci, ubi lex adoptionis aut electionis perſcripta eſſet, rarum denique aliquod monumentum & theſaurum quendam antiquitatis publicari. Sed parturiſſe video montes: nihil minus quam ſpei atque expectationi meæ ſatisfactum eſt: Neque ullus Imperator, qui quando cui ex Sabaudis Ducibus Nobiliſſimatum detulerit, ſciri vel inveſtigari poſſit, nominatur. Cœnobiarcha quidam Sabaudiæ Duci dedit Nobiliſſimi titulum in epiſtola quadam, quid ſi Princeps aliquis? quid ſi Rex? quid ſi Imperator? Aliud erat Nobiliſſimatus quam nudum nomen in epiſtola obiter perſcriptum: judicium requirebatur & quaſi adoptio, ſolennia erant, jus certiſſimæ in imperio ſucceſſionis dabatur. Et quamvis non ignorem reperiri nonnullos, qui ſtatuant illa à Principibus profecta epitheta, multum ad veram dignitatem conferre: tamen ſupra ſatis ſuperque demonſtratum ſpero, nihil iſtiuſmodi verba, ſive à Principibus ſive à privatis efficaciæ aut ponderis habere poſſe, ſi jus abſit: non ergo quoties nobiliſſimi nomen alicui imponitur, toties regales prærogativæ omnes ſtatim in eum confluunt, & tanquam in exceptorio conſiſtunt: nec quoties olim Nobiliſſimus creabatur, abſolutus Rex erat, ſed quæ regalia ei tribuebantur, habebat ut ſucceſſor imperii,

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

& quaſi filius Imperatoris: multo minus quoties nobiliſſimus quis appellabatur, is ſtatim erat eo ſenſu, quo ſolus Imperator facere poterat, nobiliſſimus. Poſſemus itaque excuſare Cluniacenſem, cui nunquam in mente fuit eam in Sabaudo dignitatem agnoſcere, immo augurari: ſed ut pateat omnibus, quos mortales adverſarius cauſæ hujus, in qua de regalibus & ſummo Principum jure diſceptatur, judices aut teſtes faciat, ſupereſt ut paucis ipſius epiſtolæ textum percurramus. Illam ſiquid judico, nihil æque quam Antiſtitis minime mali imperitiam ac ſimplicitatem ſpirare ſingulæ periodi teſtantur. Vel illud quale eſt, quod ita Regis ſui apud Comitem meminit, ac ſi ad minimum par ſit ei Comes; ſic ſi de Comite ſentit, ut ipſi de Rege ſuo ſentiendum fuiſſet. Ita plane ſe componit, ac ſi omni diſcrimine ſublato non eſſet altero alter aut major aut minor: ac ſi nobiliſſimi titulus utrique ex æquo conveniret. Feſtivum etiam quod (ut Monarcham decem aut undecim imperitantem Fratribus non ignores) Comitem ſuum ſive Marchionem, quem ex non Rege Regem fieri ab eo, certe Regibus æqualem poni, jactat adverſarius, amicum vocat, amicum noſtrum, amicum chariſſimum. Quem ſolœciſmum tantum eſſe facile judicatu eſt, ut minime à rerum humanarum leviter perito, nedum aulicam vivendi ratio-
nem

nem ſectamque docto (quo in cenſu non immerito habetur adverſario Cluniacenſis ille, utpote Abbas) impune committeretur. Sed clementius agamus, conſulamus honori hominis minime vafri: dicamus Comitem Amedæum ab eo amicum chariſſimum vocatum, non alio intuitu quam mutuæ charitatis, cujus vinciente nexu ſic homines hominibus ſive natura, ſive religio, quiq; utriuſq; autor Deus, conciliavit, ut non modo cognitionem quandam inter univerſos, verum & fratrum jus affectumque inter ſingulos inſtituerit. Neque minus in hoc admirandum ingenium Patris, quod dicit ſe à Rege ſuo electum mediatorem precum ſuarum (verba ſunt ipſiſſima) confidere Regem ſuum ſe per ipſum (Abbatem) petendo efficacius obtinere poſſe, idque miſſis ante jam iterato legatis, ut ex contextu epiſtolæ elucet, & ejus ad Comitem & Marchionem Amedæum. Quæ quam non cadant in Regiam Majeſtatem, quam non cadant in Comitem, quam ne quidem impenſiſſime delata Comes admittere debuerit, reputans quis eſſet ipſe, & cujus iſta dicerentur, non opus eſt ut dicam. Res ipſa loquitur, quæ nec de facili veniam ea invenirent, niſi vitæ clauſtralis ſimplicitas vocaretur ad partes, & pro Abbate intercederet: non ut pro homine erroribus cum tota mortalitate obnoxio, ſed qui mundanis rebus valere juſſis, quæ proxi-

mos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

mos Principum tenere oporteat, tuto ignoret: Iniquiſſimi interim ſimus, ſi à Monachalibus ejuſmodi literis Reges & regna ſuſpendamus, eorumque juri ac Majeſtati eum ad modum derogari ac detrahi toleremus. Si enim verum eſt quod de Monachali audacia jam olim conqueſtus eſt Papa Pius II. aut ſi vere dicit Leoninus ille verſiculus. Quicquid mundus agat, Monachum ibi ſecundum eſſe velle: certè hæc licentia illis mortalibus permiſſa, nihil præſentius vaticinabitur quam brevi everſionem omnium rerum eventuram. Reges Comitibus ſupponendos unius verbi, quod ab Antiſtite prolatum eſſet, magica quadam & naturam excedente efficacia: Comites Regibus æquandos aut anteferendos eſſe. Tum non Dii homines tanquam pilas, ut dictum eſt veteribus, ſed vero Monachi Reges habeant. Sane non aliter olim

Liber momento turbinis exiit

Marcus Dama:

non aliter illis temporibus

una Quiritem

Vertigo fecit

quam ſic, ut credamus, volente adverſario, unicum illud Cluniacenſis Abbatis effatum, Comitem fecit æqualem Regi, & imperii ſucceſſorem, quando per hoc effatum ſuum voluit Franciæ regem Comitis fortunam ferre, Comitem ac Marchionem, Franciæ Regis.

Supe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Superius dictum eſt, ſed dignum repeti; adeo jucundum eſt (δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ) quod videamus tota epiſtola primas Sabaudo præ Rege deferri: quaſi tanti Rex illud æſtimet, quod à Sabaudica gente maternam originem trahat, uti vel ob hoc hunc Abbatem ſperet votorum ſuorum compotiturum. Errat interim adverſarius (ut & hoc in tranſcurſu notem) qui verba iſta epiſtolæ: *inſignis flos & præfulgidum germinis veſtri* (Sabaudici) *ſidus*: ſic torquet, quaſi Sabaudis, quæ neque jure ſuo, neque ullius aut Principis aut legis beneficio teneant, ulla regalis affinitas forinſecus conferre poſſit. Si Cluniacenſis Abbas Epiſtolæ ſcriptor, ſi Sabaudus Amedæus atteſtari poſſent, quo animo hic epiſtolam ſcripſerit, ille ad ſe deſtinatam acceperit atque intellexerit, procul omni dubio rotundo ore edicerent, Abbas quidem, nolle ſe Regi ſuo quicquam ablatum aut collatum in externum; alter vero, non ſe adeo ſui immemorem, ut crediderit adulatione Abbatis factam ſibi in aliena involandi poteſtatem, aut cucullati patris judicio quicquam honori ſuo, ne dicam id, cujus capax non eſſet, acceſſiſſe.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

CAP. XIII.

De Illuſtriſſimi titulo diſceptatum. Diverſo jure diverſiſque qualitatibus eundem poſſe cenſeri. Seſſionum ambitus in concilio Baſileenſi. Illuſtris, Superilluſtris, Illuſtriſſimus, diſcreti tituli. Sabaudiæ Comites Duces Chabliſii & Auguſtæ; eoque Illuſtriſſimi. Illuſtriſſimi titulus quibus à I. C[tis] *Baldo, Iaſone, aliis tributus.*

SEquitur titulus Illuſtriſſimi, quo Sabaudos Duces ornaſſe Jaſonem, Socinum, Jacobum de S[to] Georgio, Chaſſanæum, alios crepat adverſarius. Philippo Burgundioni, cui Boni cognomentum decori fuiſſe, quod ei Illuſtriſſimi titulum Alexander detulerit. Hinc etiam Philippum per Legatos ſuos in Conſtantienſi Concilio προεδρείας controverſiam moviſſe Legatis Regis Caſtiliæ. Eundem Imperatori Frederico III. obviam factum equo non deſiluiſſe, ſed corpore in honorem tranſeuntis incurvato, ſat Imperatori venerationis exhibuiſſe judicatum. Hæc poſtquam exſequutus eſt, qui olim Illuſtres fuerint, qui Superilluſtres, ediſſerit, & Reges Illuſtres dictos fuiſſe demonſtrat. Cæterum vero quia non æque ſemper hoc obſervatum ſit, ipſos quoque Reges Illuſtriſſimos & Superilluſtres dici cœpiſſe. Hac occaſione ſubjungit, porro quæſitum, ecquid vox Illuſtriſſimi de novo conferret ei cui titulus datur, & conſpirantibus ſuffragiis iſta ſuperlativa placuiſſe ait non niſi

niſi unis Regibus aut Principibus ſummis, neque longe à potentia regali ſeparatis dari. Inde reverſus ad Duces ſuos affirmat etiam ab ipſis eos Imperatoribus Illuſtriſſimi titulo inſignitos. Hæc ille, aut his ſimilia: in quibus refutandis ut ordinem aliquem teneamus, tria mihi deſumo: Primo oſtendam, nomen Illuſtriſſimi nihil conferre ad Regiam dignitatem: Deinde Doctorum illas autoritates examinabo: Denique rectene hæc & iſta omnia ad antiquitatem Sabaudicorum titulorum applicentur, diſpiciam. Primum quod attinet, verum eſt, nudum hoc Illuſtriſſimi nomen nihil eo conferre. Unum nempe ſunt Rex & Regia Majeſtas, neque diviſionem patiuntur; ſive eam dicas Illuſtrem, ſive Superilluſtrem, & Illuſtriſſimam, idem agis. Regem qui dicit, conſummatum quid ponit, ponit abſolutum. Quod in ſummo eſt augmentum habere non poteſt: ſed ab accidenti eſt, quod hoc aut illud epitheton Regibus detur. Neque ſane rem totam reputantibus, ſtatim atque è veſtigio regalia habebuntur, quæ ſuperlativo gradu Excellentiſſima, Nobiliſſima, Illuſtriſſima dici audimus: neque etiam, quæcunque Regibus deferuntur, talia ſunt, ut ſolis Regibus debeantur, & extra ipſos cum nemine communicanda ſint. Ipſum illud Illuſtriſſimi verbum ſi gradu ſuo dimetiaris, ponendum eſt quid inferius: ſic tamen inferius

F ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ut ſpecie non diſcrepet, neque quicquam inter illa intercedat præter majus & minus. Unde conſtat, Illuſtriſſimum quid Illuſtre præſuppponere; Si Illuſtre in Regem cadit, ut cadere aſſeritur, ſi Illuſtriſſimum majus eſt Illuſtri, dicendum plane eſt, Illuſtriſſimum Ducem Illuſtri Rege majorem eſſe, aut Illuſtriſſimum Ducem cum Illuſtriſſimo Rege paria facere. Sed neque hoc neque illud patiatur natura Majeſtatis, tam parem neſcia quam ſuperiorem ferre: neque utcunque patiatur adverſarius ſinat, qui Ducem ſuum vult inter eos locari Principes ſupremos, qui etſi Reges non ſint (ideo enim puto Principes vocat) non longe ſunt à regali potentiâ ſecreti. Recurrendum eſt ad terminos, quos dicimus, habiles, & ut convenienter atque ordine procedamus, aptetur agedum illud Illuſtriſſimum ſuo Illuſtri, & vice verſa. Pone Illuſtrem eſſe qui ſit Comes, pone Ducem eſſe Illuſtriſſimum, qui tamen Dux, præter hoc quod Dux ſit, etiam eſt Comes. Nemo ambigat, quin ille Ducalis tituli acceſſione dicendus ſit Illuſtriſſimus, offuſcante nimirum minus lumen eo quod eſt majus. Ergo etiam quotiens hinc Comes, iſtinc Comes & Dux inter ſe concurrent, tuebitur poſterior ille ſuum Illuſtriſſimi nomen. Quamquam non ignoro, aliud juris eſſe ubi quæſtio eſt de actibus explicandæ Iuriſdictionis ergo geſtis. In jure receptiſſimum

mum eſt, ut diverſo jure diverſiſque qualitatibus cenſeri quis poſſit, & duorum vices ſuſtinere. l. ſi Conſul. ff. de adoption. Sed & hoc notandum, non accedere tali caſu inferiora ad ſumma, ſed demittere ſeſe ſumma & inferioribus applicari. Exempli gratia, Illuſtris eſt Senator, Illuſtris eſt Princeps: non æquabit tamen ſe Senator Principi, ſed Princeps Senatori. Et recte. non poteſt Senator conſiderari ut Princeps, ſed Princeps ut Senator conſiderari poteſt, immo debet. Ratio eſt, quia ſeſe ordini Senatorio Princeps accenſet. l. jus Senatorum. Cod. de dignitat. Lib. 12. & partem ſui corporis Senatores appellat l. quiſquis. Cod. ad leg. Iul. Majeſtat. Idem de Sabaudo Duce ſtatuendum. Sit idem verbi gratia Illuſtris ut Maurianæ Comes, ſit Chablaſiani Ducatus intuitu Illuſtriſſimus: aut parem pari ſe applicare poterit, puta Ducem Duci, aut inferiori ſuperiorem, puta Comiti Ducem. Ut autem qui Rex non eſt, aut non fuit, Regi ſe æquiparet, aut anteponat, monſtro eſt ſimillimum. Hæc diſpoſitioni juris ſunt conſentanea uſuque receptiſſima, inter illos præſertim qui in hac diſſertatione utramque (quod ajunt) paginam complent. Non alias magis orbis Chriſtianus de retinenda inter Principes autoritate aut amplianda ſollicitum vidit, quam Baſileenſi concilio. Amedæus is erat, quem ſive magnum, ſive paci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

cificum voces, non intercedo. Ita de eo Sabaudus Hiſtoriographus: *Erat in eo Principe facilis cæterarum rerum contemtus, autoritatis tamen retinendæ præcipuum ſtudium.* At hujus Amedæi legati ſuo proteſtationis libello his verbis utuntur: *Sunt contenti* (Legati) *acceptare locum quem eis aſsignat hæc Synodus in ſeſsionibus, congregationibus generalibus, & aliis actibus publicis & privatis, ad ſiniſtram partem immediate poſt Patriarcham Antiochenum, niſi de novo ſubveniant aliqui vel Regum vel Ducum Ambaſsiatores, qui jure ſuo præcedere debeant, ad evitationem cujuſque turbationis & ſcandali: proteſtatione tamen præbibita & admiſſa per ſanctam congregationem generalem, quod poſsint & valeant probare quoties opportunum fuerit & eis videbitur, quod antequam erigeretur Comitatus Sabaudiæ in Ducatum, Comites Sabaudiæ qui fuerunt pro tempore à trecentis annis præteritis continue fuerunt Duces Chablaſii & Auguſtæ, & ſic ſe ſemper intitulaverunt in ſuis patentibus literis cum titulo Comitatus Sabaudiæ, prout Dux Sabaudiæ modernus eſt Dux Chablaſii & Auguſtæ, & ita intitulatur hodie in ſuis patentibus literis cum ducatu Sabaudiæ, & propterea debere præcedere in honoribus creatione poſteriores, &c.* Me quod attinet, judicare non potui, potiori argumento, quæ hactenus adducta ſunt, firmari poſſe quam tali, quod ex ipſis Sabaudiæ archivis depromitur. Quidquid diſſimulet adverſarius, fatebitur tamen hoc ſuo ſcripto cum primis illud agi, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Sabaudus Dux qui in omnibus primas Venetæ Reipublicæ concedere cogitur, reſpectu Cyprii regni, quod ſuum fuiſſe (quamvis male) contendit, primo illi Reipublicæ par habeatur, utque illud aſſecutus è pari deinceps prior evadat. Quid quod pro his non leviter faciant illa ipſa, quæ adverſarius allegat? Nempe ſi dubitatum eſt J. C[tis], an Illuſtriſſimi nomen quippiam in ſe contineat, quod ſub Illuſtri non eſſet comprehenſum, omnino oportet illos agnoviſſe, inter Illuſtre & Illuſtriſſimum tantam analogiam eſſe, ut non niſi benigna interpretatione & ad diſcernendos inter ſe Illuſtriſſimi titulo fuerit opus. Vnde & Illuſtriſſimi nomen nihil conferre dicendum ſi in ſe conſideretur, aut ſaltem ante iſtiuſmodi diſtinctionem nihil contuliſſe. In omnem eventum facta eſt talis diſtinctio, ut qui eſſent Illuſtriſſimi, dignitate anteirent modo Illuſtres: non ut Illuſtres, Spectabiles, Clariſſimi ſtatim Illuſtriſſimi dicerentur, æquales Imperatoribus, Cæſaribus, Nobiliſſimis, Conſulibus ac forte Præfectis prætorio. Itaque manifeſte in eo fallitur adverſarius, quod inſtituta ad Superilluſtres aut Illuſtriſſimos comparatione, Regiam Majeſtatem à cæteris dignitatibus Illuſtriſſimi titulo vult ſeparari: unde porro effingit, ei, cui Illuſtriſſimi titulus competat, etiam regales prærogativas convenire. Vnde enim iſta diſtinctio nata eſt? cui bono

futura? niſi verendum forte erat, ut Regum Majeſtas ſatis firmo tibicini innixa ſtaret, ſi non ad illam ſuſtinendam hoc accederet, ut inter Illuſtres & Superilluſtres & Illuſtriſsimos J. C^ti^ diſtinguendum putarent, interfuit eo quod viderent has dignitates multum turbari & confundi. Senatores Superilluſtres dixit Jaſon in l. 1. ff. de offic. ejus cui mandata eſt juriſd. Menoch. arbitrar. quæſt. caſ. 68. nu. 27. 28. ubi tamen hoc reſtringit ad illos Senatores, quos Romulus inſtituit. Eoſdem Illuſtres dici multis legum autoritatibus confitetur. Præfectos prætorio Superilluſtres fuiſſe Cæſar Bulengerus non dubitat. Illuſtres tantum exſtitiſſe probat l. ult. §. fin. Cod. ubi Senatores vel Clariſſ. In Majeſtate regia nihil tale. tota, ut partim jam dixi, ſibi conſtat. tota æqualis eſt. Eam qui diſtinguit, minuit; qui minuit, tollit. Tota eſt in ſuo toto, tota eſt in ſingulis partibus, atque, ut verbo abſolvam, tota perfecta eſt. Si diſtinctio illa Reges etiam continet, ſtatuendum eſt, Illuſtriſſimi vel Superilluſtris titulum poſt illam, quæ prætenditur diſtinctionem, ſic unis Regibus propriam fuiſſe, ut non potuerit præter eos ullis aptari. Sed nemo oſtendet J. C^tos^ Italos, Baldum puta, Bartolum, Jaſonem, Purpuratum, Menochium, Cravettam, atque alios ſolis Regibus Illuſtriſsimi titulum dediſſe. Quinimo operæ pretium ſi foret, Comites & Marchiones ſæ-

pius

pius ab ipſis Illuſtriſsimos vocatos fuiſſe poſſem demonſtrare. Quare (venio ad ſecundum thematis membrum) etiam non eſt, ut adverſarius in illis autoritatibus multum fiduciæ reponat: Probabilia ſunt tantum, & nullam concludendi neceſsitatem ſecum ferunt quæ in nuda ſcribentium autoritate fundantur. Cæterum non hoc quoque unum ſatis eſt, quod dicatur à Jaſone, Purpurato, Jacobino, de Sto Georgio, Chaſſanæo aliiſque, regalibus honoribus affectum Sabaudiæ Ducem, niſi etiam oſtenditur quod ſolus ſit Sabaudiæ Dux præter Reges, quem tali honoris prærogativa dignantur: niſi oſtenditur illos DD. hoc ideo facere, quia ſciunt non poſſe ac non debere titulos Illuſtriſsimi deferri, niſi aut veris Regibus, aut qui iis æquales ſunt. Atqui J. Cti etiam ab ipſo adducti ſatis promiſcuè utuntur verbo Illuſtriſsimi: nec ignorare potuit adverſarius DD. qui quam ſplendidiſſime de Sabaudiæ Duce loquuntur, hoc teſtari: quæcunque habet ille ſummæ poteſtatis jura, quæcunque exercet, ab Imperatore defluxiſſe. Et hoc fortaſſe fuit, quod adverſarium impulit, ut laudaret quidem & nominatim citaret autores, quibus vero locis quiſque talia dicant, non exprimeret. Qui vero ſunt illi Principes, quos potentia haud longe à Regibus ſecerni debere ſtatuunt Doctores? qui ſunt iſti Doctores qui hanc diſtinctionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

tradiderunt? quas adducunt rationes? quibus argumentis ad id ſtatuendum moventur? ac tandem unde norma iſta petenda eſt, qua clareat Principes hos à Regibus potentia non longe ſuperari? Sed & potentia iſta Regibus proxima, aut ſaltem non nimis longe ab iis diſsita ac remota qua in re conſiſtit? anne in jure imperandi? Puta, omnia quis facit in territorio ſuo, quæ Imperator facturus eſſet in imperio, aut Rex in regno: iſtene talis erit Princeps ſupremus, & non longe potentia ſecernendus à Regibus? minime. Quin ſi tale quid contra omnem juris rationem ſtatuere lubet, tam multos Duces, Comites, Barones, Præſules, Antiſtites, immo & Nobiles Illuſtriſsimos habebimus, ut ne finem quidem eorum ſit reperire. An vero potentiam ex eo æſtimabimus, quod quis ditioni longe lateque exporrectæ cum imperio præſit? ne hoc quidem. Quid enim ſi precario regnat? ſi inſtrumentum ſervitutis eſt? ſi res tuetur aut vi aut jure aliis inferiores? ſi Vaſallus ſit, ſi cliens, & quæ hujus generis plura occurrunt? Itaque pace adverſarii cenſeo, aut nominatim citandos aſsignatis locis autores illos fuiſſe, qui ſic de Illuſtriſsimi titulo pronunciarunt, aut licere credi idem ipſi eveniſſe; quod Sabinis, quos quæ velint ſomniare, etiam diverbio notatum. Etſi enim nos maxime favere ipſi velimus, & falſa pro veris reputare, rationi adverſa

adverſa pro æquis & bonis admittere; Nullus tamen eſt qui Majeſtatem Regiam Doctorum opinionibus ſubſtraverit. Vt neque de jure argumentum quod ab authoritate deducitur, illos ſtringit, qui nulli authoritati qua publicè qua privatim obnoxii ſunt, ipſimet Domini rerum atq; abſolute ſummi. Quod poſtremum tum quoque fortius procedere author eſt in locis ſuis legalibus Præſes Everhardus, ſi, quæ allegantur authoritates, ratione non ſtabiliantur. Eodem autore ac teſte quicquid eſt hoc argumenti evertitur, quoties quis rationem ei opponit, quæ neceſſario concludat: qualem non unam huc uſque nos deduxiſſe toti confidimus. Unum ſuperat, ut videamus, quæ adverſarius habet, male ad Sabaudiæ Ducem applicari. Sed cum aliud etiam agentes non potuerimus non hanc partem per præcedentes ſpargere, ut de ea facile ſit cuivis recte judicare, ne lectoris ingenio diffidere videar, repetere priora nolo: id modo cogitandum ſubjiciens, relinqui hic ab adverſario miſere, quod ſplendide de antiquitate Regalium ſuorum titulorum in limine promiſerat. Omnes enim quos hic allegat autores, recentiores ſunt, quam ut hanc antiquitatis gloriam titulis Sabaudi Ducis vindicare, aut ipſi ejuſdem veneratione autoritatis ſuæ pondus gravius reddere valeant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

CAP. XIV.

Confuſio titulorum ævi ſemipriſci. Emanueli Palæologo quid cauſæ fuerit, ut ſublimioribus titulis Sabaudiæ Ducem honoraret. Non potuit Sabaudiæ Ducem ſupra Angliæ Regem efferre etſi illi ampliores titulos tribueret. Cantacuzeni, Iuſtiniani Imperatorum, Baldi verba vindicata. Sereniſſimi titulus ab Eugenio Papa Sabaudo datus. Eugenii circa Baſileenſe concilium ſtatus.

NOndum omittere poſſumus Illuſtriſſimi titulum. Ita adverſarius in eo moratur, & blandimenta ille atque illecebras ei habere viſus eſt. Nunc ergo docet nos à Conſtantinopolitanis Imperatoribus Sabaudiæ Duces Illuſtriſſimos vocatos. Probari hoc epiſtola Emanuelis Palæologi ad Amedæum VIII. qui tamen ad Angliæ Regem ſcribens contentus ſit Nobiliſſimum illum vocare, & amicum chariſſimum. Complures Orientales Imperatores ad hoc exemplum egiſſe, qui (ut è Grammatophylaceis Sabaudicis liqueat) Excellentiſſimos eos & Sereniſſimos appellent. Hoc ſe non mirari, cum tantum extiterit illis temporibus Comitum Sabaudiæ nomen ut eos non modo Illuſtriſſimos dicendos ipſi Imperatores, verum etiam per affinitates & matrimonia ſceptris ſuis innectendos cenſuerint. Nuptiis Andronici Junioris cum Anna Sabaudica tantum Odoardi Sabaudi enituiſſe magnificentiam in ſponſa deducenda, ut

ut ipſummet qui hæc atteſtetur, Cantacuzenum Imperatorem Regius comitatus, & ſupra Reginam apparatus in ſtuporem dederit. Addit, magnis deinde incrementis opinionem auctam, quam de Sabaudica magnitudine conceperant, quo tempore ope Amedæi viridis fratrem ſuum regno juxta & libertati redditum, videret Imperator Bulgaris victis & cæſis: tanto quoque Turcarum metu, ut Amedæo vivente, cæteroquin ſtatim ab illius exceſſu feroces, nihil rerum novarum auſi ſint movere. Tandem in eo totus eſt, ut digno pretio hæc æſtimentur, cum quia profecta ſint ab illis, qui rebus lætis duriſque experiendo didicerint, quanta Sabaudicæ virtutis viriumque magnitudo eſſet; tum quod Principum mos ſit tam religioſe ſervare ſibi titulum Serenitatis, ut eum nulli concedant niſi graviſſimis ac prope inſuperabilibus de cauſis. Colophonem imponit effato Júſtiniani Imperatoris, cumque eo Serenitatem ſolius Imperatoris eſſe dicit, ac proinde mirari quemquam æquum non eſſe, ſi phœnix ſui ſæculi Juriſperitorum Baldus, quod Comes Sabaudiæ non habeat ſui ſimilem, agnoverit. Credere autem ſe Comites Sabaudos, qui in eo ſimilem non habuerint, quod ab ipſis Imperatoribus Sereniſſimi dicti ſint tum, cum modo Comites eſſent, Duces exinde factos pari ratione nullos ſibi ſimiles habuiſſe in

Cel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Celſitudinis & Excellentiæ nomine, quo ipſos Pontifices inſignire conſueverint. Quod cum conſtet pluribus Pontificum reſcriptis, diſertim probari per ea quæ anno cIɔ cccc xxxvII. ac xxxvIII. ad Amedæum vIII. ſcripſit Eugenius. Hæc ille. Quæ dictu quidem ſpecioſa & phalerata ſatis agnoſcimus: ſed non tantum aſſerunt Sabaudiæ Duci, quod in controverſia eſt, quam eidem blandiuntur: itaque nec Lectori, eorum quæ in ſuperioribus præſtruximus memori, ob oculos glaucoma objicere poſſunt. Primum illud Emanuelis Palæologi mire confirmat, quæ de titulorum confuſionibus dicere magna cum ratione potui. Aut enim dicendum eſt nullum iſtis temporibus ordinem fuiſſe in titulis dignitatum: aut Palæologum Emanuelem propalam in Sabaudos Duces fuiſſe injurium. Atqui hoc credibile non eſt, quemadmodum ille ab adverſario à gratiſſimi adfectus demonſtratione ſane quam prolixa laudatur: cum provocata à Sabaudo per complura benefacta gratitudo illius Auguſti ex deſtinato promanarit, ac tandem lacinia de veſtitu (ut ferebatur) Salvatoris ab ipſo Duci pro munere miſſa ſit. Non ergo ſine cauſa tantopere in hoc Illuſtriſſimi titulo ſibi gratulatur adverſarius: non ſine cauſa, ut videtur, honoratius Anglorum Rege Sabaudiæ Ducem habitum eſſe divinat. Atque hinc quidem noluiſſe

Ema-

Emanuelem in Sabaudum contumeliam conferre conſtat: ſed quomodo demonſtratur, inquies, fieri non potuiſſe ſublata titulorum confuſione, quam in illius ævi conſuetudinem vertiſſe dictum eſt, quin hac inſcriptione ſumme eſſet in Sabaudum injurius. Res prompta & tam in proclivi, ut Comici verbo utar, quam imber quando pluit. Illud manifeſtum eſt titulum Illuſtriſſimi in ſe anguſtiorem eſſe, quam ut aſſequatur Regiam Majeſtatem. Illud adverſarius dicit, & nos tantiſper, dum ſuo eum teſtimonio revincamus, jam ante tria ſæcula Sereniſſimi titulum ab Emanuelis Majoribus tributum eſſe Duci Sabaudiæ; idque atteſtari archiva Sabaudica, inaſpecta ſcilicet illa & ceu myſterio nobis profanis non exhibenda, non vulganda; tum Serenitatem ſolius Imperatoris eſſe. Facilis nunc via ad reliqua. Anno quadringenteſimo poſt milleſimum ſcriptâ epiſtolâ illâ Emanuelis apparet integrum jam ſæculum effluxiſſe tum ab eo, quod à Byzantiis Imperatoribus, majoribus ac deceſſoribus illius, Sabaudi Duces Sereniſſimi cœpti ſunt appellari. Quis non videt graviſſimam injuriam fore, ſi ea poteſtas, quæ ante tot annorum Hebdomadas Serenitatis honore mactata fuerat, titulis tanto faſtigio multo inferioribus & indignis exciperetur? Quod cui fides fiat facturum Emanuelem illis in temporibus conſtitutum,

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ut ab omnibus ſubſidia emendicaret, abs quivis beneficium accipere paratus eſſet? id vero titulorum obſequiis, blanditiiſque nanciſci pro lucro reputaret, intempeſtiva deminutione amittere, inſaniæ inſtar ut erat, habiturus eſſet. Denique quis perſuadeatur Amedæum Sabaudum, ambitûs inexhauſti Principem, à ſua parte titulos admiſſurum fuiſſe ſublimioribus, queis jam ante vulgo compellaretur, titulis derogaturos? Nihil ergo æque vero congruit quam prius quod diximus, hæc iſta ſcripta fuiſſe pro re nata, quum nimirum licentia titulorum nullis limitibus coacta pro voluntate ſcribentis atque affectu aut frigebat aut æſtuabat. In genere tamen ad iſta ſua audiat adverſarius, nihil eſſe quod credulitatem noſtram vel modice devinciat. Quod enim attinet ad conceſſos Sabaudo Duci Serenitatis vel Sereniſſimi titulos, neque à quibus, neque quando, neque quibus teſtibus, neque qua occaſione conceſſi ſint, vel eminus attingit. In epiſtolis quoque quas exſtare vult ab Emanuele Palæologo ſcriptas, tam aut incurioſus eſt aut vafer, ut non poſſit non eſſe quam ſuſpectiſſimus. Nimirum etſi non unius meminerit, tamen non niſi unam arceſſit ex Vignerii bibliothecâ. Altera anne apud Parthos aut Armenios deliteſcat, qui poteſt conjiciat: adverſarii ſaltem beneficio lucem non videt. Cum ipſe interim contextum diſcurſus

ſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſus ſui ita proſequatur ac claudat, quaſi utraque earum probati eſſent teſtes, Sabaudo Duci attributos eſſe titulos Sereniſſimi : ita ut omnino aliter dici ſtatuive non poſſit, quam utramque exhiberi debuiſſe. Quinimo ſi accipiamus hominem noſtrum egiſſe fide optima ſine fraude & dolo, nihil tamen in cauſam his allegatis profecerit. Non eſt mihi animus iterato hic reponendi, non potuiſſe illos Imperatores invertere ordines dignitatum, hos illoſve titulos attribuendo non capacibus: non edicam illorum qui majores potentioreſque ſint iis quibus tales tituli tribuantur, conditionem ac ſtatum pejorem reddi non potuiſſe: ſed, quod vel adverſarius fateatur, hæc qualiacunque non ut ad Sabaudiæ Ducem ſcripta fuiſſe, ſed ut ad Principem Achaiæ. Qua talis, ſi non ſanguine, certe affinitate Sabaudus Imperatorem tangebat. Tum adverſus Achaiæ Principem cur titulorum parci forent, cauſa ſubeſſe non poterat. Ipſorum adeoque in illa Imperii ſenecta intererat, ut ſplendori affinitatum ac neceſſitudinum inſiſterent, tanquam regni munimento. Non ergo miraculo ſit Palæologum pluris feciſſe Ducem Sabaudiæ, quam Regem Angliæ: vicinum quippe illum & affinem, hunc autem remotiorem, quam ut aut benefacta ab eo expectaret aut injurias timeret. Quamquam (quod in tranſcurſu dictum eſto)

nec

nec id ipſum ex iſtiuſmodi inſcriptionibus poſſit probari. Quippe Rex ille cum eſſet, id eſt, ſuus, nulla in re Byzantino Imperatori obnoxius, nullis omnino titulis, nullis agnominibus aut ſublimius attolli aut deprimi potuit. Quocunque ad eum modo ſcriberet, Rex erat: Regem cum diximus, omnia diximus. Sabaudum contra aliquanto magis verendum reddere poterat illud Imperatoris æſtimium, magnitudinem illius ex conceſſi tituli amplitudine dimenſuris. Adverſarium, ut aliqua vis argumento foret, docere oportuerat Imperatorem, cum ita ſcribebat, id animi habuiſſe, ut Anglo Regi Sabaudum Ducem anteferret, anteferendo etiam ſic extolleret, ut poſſet aliquando beneficio tanti nominis eundem ſummis poteſtatibus inſerere, pari deinceps ordine, dignitate, ac gradu ab omnibus habendum. Sed neque hoc ille præſtet, & mutua horum inter ſe beneficia, quid de tota re ſtatuendum ſit, nihil ut dicam, ſatis produnt. Ponamus quoque Imperatorem minus æquum fuiſſe Anglorum Regi: idne igitur aliquid juris in Sabaudum derivabit? Pone Anglorum Regem, ut omnino veriſimile, hæc infra iram duxiſſe, queri noluiſſe, ſive magnitudinis ſuæ conſcium, ſive quo ne videretur quid ſplendoris aliunde poſſe mutuari: ideone ſupra tanti Regis Majeſtatem ſeſe tam levi de cauſa efferendi inferiori jus eſt?

non

non putem. Revertor ad ea quæ adverſarius allegavit. In quibus quæ de apparatu Comitatuque, quo Anna Sabaudica ſponſa Andronici Junioris Byzantium deducta eſt, turgentibus buccis velut efflat, mihi bullis & puerilibus crepundiis inaniora videntur. Quid enim? an communem conditionem egreſſa magnificentia, an ſplendor vel maximus externus, an pomposi apparatus ex Rege faciunt non Regem? Si recte calculum ponimus, omnis iſta pompa vix unum ædilitium munus, quo in Republica Romana fungebantur Magiſtratus, æquaverit. Neque tamen ædiles Reges, illo quippe tempore, quo niſi per jocum & convitium Civem Romanum Regem appellitare capital eſſet. Infelices vero omnes qui de jure publico ſcripſerunt; quandoquidem à tanto Magiſtro hactenus edocti non ſunt pompas Aſiaticas vel ſpecialius Perſicas, & Sybariticum luxum, non jam alicujus dominii, ſed vel Regalium acquirendorum modum eſſe. Veniant, ſuadeo, & aſſem porrigant pro hac fabula tam lepida, nova, inaudita. Nempe tanti erat ut in loco Cantacuzeni, quem citat, illa verba REGIO virorum fæminarumq; comitatu: item REGINAS ſuperabat: curaret excudi initialibus typis, & quidem in periodo jam ante typorum diverſitate à cætero textu diſtincto. Qua nulla adulationis apertior ſpecies eſt. Neque vero abſurdius

dari aut fingi poteſt quicquam, quam per ejuſmodi verborum aucupia, quæ nemo non videat putide affectata ac longe quæſita, narrationem hiſtoricam in vim legis detortam velle. Quaſi ſcriptor ex ſenſu ſuo comparatione aliqua inſtituta juris quid nondum apparenti alicujus conditioni prætexere atque circumdare data opera quæſiverit. Cantacuzenus utique ne per umbram prævidere potuit, poſt gemini ſæculi decurſum aliquos è Sabaudis Ducibus exorituros, quibus ipſius hiſtorica relatio in illos uſus inſerviret. Nullus inquam rerum geſtarum autor, nulli annales ſimplici narratione quid alicui conferre potuerunt, quod non jus aut juris ratio ei largiretur, Ejuſdem minimo minus farinæ eſt, quod de ſuppetiis ab Amedæo Viridi latis deprædicat, & quidem maritimis. Notiſſimum eſt illis temporibus nequaquam tantas Sabaudis Ducibus mari vires fuiſſe, quantæ nunc ſunt. Itaque quo tempore Lodoicus Sabaudus Carolottæ Luſignanæ maritus in Jacobum Cypri Regem bellum movebat, tantis Amedæi patris opibus, tanta potentia nihil actum mari, quod vel expeditionis alicujus maritimæ nomen meruerit, nedum validæ aut ſtupendæ. Ipſe Sabaudiæ Dux infra Patrum memoriam quum Venetis, regni Cyprii veris ac legitimis Dominis, ad illud recuperandum ſocia arma jungeret, & vel ſic male digeſtas ſuorum, iſto

regno

regno ambitionem ſuam ſtimulantium, ſpes condemnaret, non niſi quatuor liburnicas mari armare atque educere potuit. Illumne quis juſtam claſſem, immo vel claſſem Venetis ſubſidio miſiſſe dicet? non arbitror. Cætera ut omittam, nunquam armatura nautica aliaque ad rem navalem pertinentia ſic in Sabaudia proviſa fuere, ac ne nunc quidem ſunt, ut inde terror ullus hoſtibus fuerit incuſſus. Evolvantur annales, relegantur faſti, conſulantur quicunque de re Sabaudica privatim ſunt commentati: ut in ſpem gratiæ ſcripſerint, omneſque coronas & palmas in Sabaudos Principes contulerint; nunquam invenias eos magis inclaruiſſe maritimis expeditionibus (Amedæum IV. excipio) quam ex iis gloriam concupierint. Neque ſolum in quo degunt, neque cœlum quo animantur, tales efformat: ſic ut neque genium naturæ à rebus maritimis alienum, & objecta à montibus repagula memorare ſit neceſſe. Quod porro tantopere conceſſum Serenitatis titulum extollit, eo quia Juſtinianus Imperator pronunciet Solius Imperatoris Serenitatem eſſe, parum facit ad rem, modo tempora, perſonas, mores diſtinguamus. Ne ipſe quidem credat adverſarius, Juſtinianum qui ſolius Imperatoris Serenitatem eſſe cenſuit, eo prolapſum fuiſſe, ut non Imperatori, non Regi ea deferret, quæ nulli privatim præter-

quam Imperatori, aut eadem cum Imperatore jura tenentibus debita, ad alios ſpectare, deferri, aut transferri non poſſunt. Siquis Juſtinianus aut Juſtinianæo ſæculo Majeſtatis, ut par eſt, ſtudioſus, eo animo ac mente Sereniſſimum vocaſſet Sabaudum, ut eum aut ſibi aut ſui ſimilibus æquaret, alia res eſſet. Placet mihi cum Tullio Hector ille Nævianus, qui non tantum laudari ſe lætatur, ſed etiam à laudato viro. Ea demum cara merces eſt, id vero magnum & ſpatioſum theatrum ad veras laudes graſſantibus. Sed ut dixi, totis octo ſæculis ab imperio Juſtiniani ac proinde tanto tempore retro, quo ſolius Imperatoris Serenitatem eſſe Juſtinianus dixit, Sabaudo demum Duci Sereniſſimi nomen fertur attributum, idque imperio Orientis in ruinam modo ſubſidente. Imperatoribus id ipſum pro dignitate ac magnitudine neutiquam tueri valentibus, quodque accedit, à quibuſvis indiſtincte opes & ſubſidia corrogantibus. Dixi quoque jam ante, neque ordinem dignitatum, neque ſtatum rerum, neque fidem veri ab ullo in injuriam tertii poſſe mutari. Eſto: Orientales illi Imperatores hunc illumve Comitem aut Ducem majore, quam qui ei deberetur titulo cohoneſtarint. Nihil egere, aut ſiquid egiſſe dicendi ſunt, peccarunt. Plus ſatis illos convincant & dignitatum ordo, qui confundendus non eſt bene conſtitutis & ſua conditione

gau-

gaudentibus; & rerum ſtatus, quem ſic temerare nefas eſt, ac ſupra omnia, quæ ſacroſancta eſt, fides veri. Quæ clamabunt ultro, hæc quæve his ſimilia ſunt non judicio attribui debere, ſed errori. Eadem ad Baldi autoritatem reſponſio eſt, quando ille Sereniſſimum Sabaudum vocavit, quando ſimilem ſui non habere enunciavit, ſiquidem horum verborum ſit candidus interpres adverſarius. Potuit enim ille uti conſilio ſuo, & ea dicere quæ præcipue ad inſtitutum ſuum pertinerent: ſed quam luculente dictis jura dignitatum & conſuetudines invertere non potuit, ne quidem præſcribere aliis, aut appellandi publicam formam ſancire: quam facultatem nulli privato eſſe nemo melius ipſo juriſperitorum ſui ævi Phœnice, intellexit. Ad rationis legem exemplumque formari ſapientiæ eſt, & naturam ducem ſequi, quæ tam diſſimilia conjungi in unam copulam non patitur. Sed age, ſit tanta fides Baldi verbis, quanta & debetur, quem titulum iſtum mereri non inficiamur; ideone quia ſimilem ſui non habet Comes Sabaudus, ex non Rege ſubito Rex factus eſt? nihil minus. An vero quia fortaſſis ſimilem ſui non habet Comes Sabaudiæ, Comes eſſe deſiit? ne hoc quidem. Neque enim comparationes iſtæ omnes porrigendæ ſunt extra ſuum genus. Ergo, ſi non omnia adverſario concedamus, quæ ex hiſce verbis extor-

quere poteſt; ſi quantus unquam Dux Comeſque fuerit, & maxime Sabaudus extiterit Dux Comeſque, atque adeo ipſis Comitibus, ipſis etiam Ducibus major: tamen non probabitur Baldum, qui negabat Comitem Sabaudum habere ſui ſimilem, itidem ſenſiſſe, eum propterea pro Rege habendum. Venio nunc ad extremum illud, quod de ſummis Pontificibus adfertur, ſcilicet ſolere illos Brevibus ſuis Sabaudiæ Duces appellare titulis Sereniſſimi & Tuæ Celſitudinis. Sed enim

amphora cœpit
Inſtitui currente rota cur urceus exit?

Si ex Pontificum autoritatibus Sabaudiæ Ducibus ulla quaſi poſſeſſio quæritur, non unum ſed plura ſummorum Pontificum adducenda ſunt exempla: neque numero duntaxat, ſed & tempore, & quidem continuo, agendum erit: ſed & hoc probandum, ideo hoc illis placuiſſe, quia non poterat non placere, utpote tale, quod aut jure debebatur, aut quod illis deinceps jure deberi vellent. Horũ nihil cum præſtet, ſed ad Eugenium IV. relabatur, pronum creditu eſt, aliis Pontificibus longe aliud in more poſitum fuiſſe. Digito velut commonſtravi ſuperioribus meis, quæ ratio Eugenium ad ſic ſcribendum non modo probabiliter impellere potuerit, ſed re vera, & quidem validiſſime impulerit. Dicta non repetam. Quia tamen exemplum geminare adverſario viſum

ſum eſt, quæ antea libavi duntaxat, plenius tangam. Indictum à Martino Pontifice fuerat Baſileenſe Concilium, hunc mox ab indicto Concilio vita functum Eugenius IV. exceperat. Ille dum nimium memor, ut videtur, eorum, quæ Joanni XXIV. Conſtantienſi concilio obvenerant, Concilium non modo non promovet, ſed ex adverſo diſturbat diſſipatque, ſic tandem Patres exacerbavit, ut evibratis primum in ipſum octo (ſic vocabant) Veritatibus, quantum in ſe fuit, eum de Cathedra Petri dejecerint, Amedæo Sabaudo (qui Felix vocari voluit) in Antipapam creato. Ut lectori ſatisfiat, & fidei noſtræ, eccas Veritates ipſas de verbo ad verbum ex Ænea Sylvio, qui poſtmodum Pius II. dictus, deſcriptas Lib. 1. de geſtis Baſileenſi Concilio. I. *Veritas eſt Catholicæ fidei, Sacrum generale Concilium ſupra Papam, & quemvis alium poteſtatem habere.* II. *Generale Concilium legitime congregatum ſine ipſius conſenſu nec diſſolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus ex authoritate ſua poteſt Romanus Pontifex : idque ejuſdem veritatis eſt.* III. *Qui pertinaciter his veritatibus ſe opponit, hæreticus eſt cenſendus.* IV. *His veritatibus Eugenius Papa* IV. *repugnavit, cum primo ex plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ Baſileenſe Concilium diſſolvere ſive transferre attentavit.* V. *Errores his veritatibus repugnantes monitus, tandem per Sacrum Concilium Eugenius revocavit.* VI. *Diſſolutio ſive trans-*

latio per Eugenium ſecundo attentata prædictis eſt obvia veritatibus, inexcuſabilemque circa fidem errorem continet. VII. *Eugenius iterato Concilium diſſolvere ſive transferre tentans in revocatos errores relabitur.* VIII. *Commonitus per Synodum Eugenius, ut diſſolutionem ſive tranſlationem ſecundo attentatam revocaret, poſt declaratam contumaciam in rebellione perſiſtens, Ferrariæque conciliabulum erigens ſe ipſum pertinacem declarat.* Conſonant his quæ in vita Amedæi VIII. ſive Felicis V. habet Hiſtoriographus Sabaudus. Illo referente, Concilii Baſileenſis Seſſione ſecunda publico decreto firmatæ ſunt hæ (ſic porro vocaſſe liceat) Veritates: Omnes cujuſcunque dignitatis ſint, etiam Papalis, Concilio obedire teneri, in his quæ pertinent ad fidem, & generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite & membris. Item: Nullum, quavis autoritate, etiamſi Papali dignitate præfulgeat, Concilium diſſolvere aut alio transferre poſſe, ſtatutis pœnis in quoſvis, qui contra decernere, aut moliri aliquid tentarent. Eugenius nimirum altare velut erecturus contra altare, non prius diſpexerat de Concilio Ferrariam evocando, quam ipſemet Baſileenſe confirmaſſet. Cui fidem facit ex citatis Veritatibus quæ ordine eſt quinta. Idque apparet ex actis ejuſdem Concilii, Seſſione decima & ſexta, ubi fatetur Eugenius, *legitime continuatum* (Concilium Baſileenſe) *à tempore in-*

inchoationis fuiſſe & eſſe, proſecutionemque ſemper habuiſſe continuam, & proſecutionem habere debere, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet. Diſſolutionem inanem & irritam fuiſſe &c. Cum tamen Baſileenſe interea Concilium nihil mitigatum renovaſſet ſua decreta, ſtatuiſſetque (iterum verba pono) *obedientiam à Papa conciliis deberi, in his quæ ad Eccleſiæ reformationem in capite & membris pertinent.* Ita ut jam non amplius ſua duntaxat, ſed & Pontificis autoritate ſtabilitum videretur. Quæ quiſquis expendit, videt, ut opinor, quam non bono loco fuerint id temporis res Eugenii IV. immo quam perditæ, ac tantum non conclamatę. Nec profecto cuiquam peregrina res videbitur, eum ad profundi ambitus Principem, & ſpecioſo religionis obtentu ambitionem ſuam velare ſic edoctum, ut tamen per illos gradus viam ad Pontificatum affectaret, ſic ſcripſiſſe, iiſque eum titulis compellaſſe quibus confideret, ſe eum ſibi aut devincire aut delinire poſſe. Omnino plura ſi deſideraſſet Amedæus, plura haud gravatim conceſſiſſet Eugenius. Similia ſunt his quæ de Paſchali III. Crantzius Lib. VI. Metropol. c. ult. qui ut in ſchiſmate in partes ſuas facilius illiceret Epiſcopum Moguntinum, titulis præclariſſimis non parcebat, ſcribens: Chriſtiano, Chriſtianiſſimo ſedis Apoſtolicæ Legato, Imperialis aulæ Cancellario, & Romanæ Eccleſiæ fideliſſimo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Non admodum diverſa de Othone & Vitellio imperium captantibus ſcribit Tacitus Lib. 1. Hiſtor. *Crebræ interim & muliebribus blanditiis infectæ ab Othone ad Vitellium epiſtolæ offerebant pecuniam & gratiam, & quemcunque quietis locum prodigæ vitæ legiſſet. Paria Vitellius oſtendebat, primo mollius ſtulta utrimque & indecora ſimulatione, mox quaſi rixantes* &c. Patet ergo quid, in quam ſpem, cuive Eugenius iſta indulſerit. Adverſarius ſi poſtulat ſibi fidem haberi, Pontificum autoritates adducat, ſed integras & nullis præjudiciis corruptas. Nam quę ex Eugenii Brevibus citavit, etſi vera ſint, atque ad verbum inde deſcripta, quia tamen à neceſſitate magis extorta, quam ab animi ſuo arbitrio ſe componentis motu profecta ſunt, omnino ad illa firmanda, quæ probare ipſius eſt, nullius ſunt momenti.

CAP. XV.

Sereniſſima Venetorum Reſpublica Sabaudo Duci Regales titulos non dedit. Majeſtas Liberarum Rerumpublicarum. Veneti quare Ducem ſuum Sublimitatis potius & Serenitatis titulis compellari voluerint, quam Majeſtatis.

A Pontificibus ad Sereniſſimam Remp. Venetam deſcendit, dicitque eam, ut ut pro ſua morum atque inſtitutorum gravitate deparca ſit in titulis conferendis, ſic nihilominus à cæteris Magnatibus Ducem Sabaudiæ ſeparaſſe, ut jam ante ducentos annos regali-

bus

bus titulis honeſtarit. Teſtari id Hieronymum Lipomannum, quondam Oratorem Venetum ad Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem. Ex ejus relatione patere, fœdere quod anno cIɔ cccc LXIV. die ſexto menſis Auguſti inter Rempublicam Venetam & Amedæum Sabaudiæ Ducem fuit ſancitum, ſummos honores delatos fuiſſe, qua dicto Duci, qua Duciſſæ Jolandæ, Francorum Regis primogenitæ, titulos nimirum non Celſitudinis ſolum, verum etiam Sublimitatis. De Lipomanno non inquiram, fuerit ille Venetus Orator, necne. Dicam vero, negare me, neque adverſarium probaturum, jam ante ducentos annos inter Sabaudos Duces cæteroſque Italiæ Magnates tantam à Venetis differentiam fuiſſe conſtitutam, ut illos præ cunctis regalibus titulis ſibi decorandos putarint. Si unquam hoc factum foret, haud dubitabile eſt, Rempublicam illam, cujus inter ſtupenda non poſtremum eſt, quod conſtantia non modo exacta, ſed etiam religioſa obſervat, quæ ſemel placuerunt, ſemper ab illo tempore Sabaudos Duces regiis honoribus proſecuturam fuiſſe, neque etiam id ipſum hodie neglecturam. At neque nunc id obtinet, neque obtinuiſſe oſtendit adverſarius. Neceſſe eſt ergo, aut illam Rempublicam, à qua conſtantiam ipſamet addiſcat conſtantia, deſultoriæ levitatis ream peragat; aut ut

fatea-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

fateatur, quæ ex Lipomanno citat, talia non eſſe, ut publicum aliquod Senatus decretum pro fundamento habeant. Non expecto ab illius prudentia, ut velit prius: & ſi velit, quis ei faciet ſecundas? cui perſuadebit? Nec in poſteriori ut laboremus opus eſt. Nam ſi non fateatur illud, videt probandum ſibi, quicquid hoc eſt titulorum Sabaudo Duci delatum fuiſſe publico Patrum decreto: probandum deinde, non ſimpliciter delatum fuiſſe, ſed ei fini, ut inter Sabaudum, cæteroſque Italiæ Magnates, tanquam diſpares dignitate, diſtinctionis ratio conſtaret. Nihil circumlocutione ſuſpendam: quæ Lipomanno tribuit, vehementer mihi ſuſpecta ſunt, nedum ut pro veris certiſque ea habeam. Ac ſuſpicionum quidem cauſas ſubtiliter exequi non eſt operæ: ſuffecerit nullum omnino fœdus reperiri, quod inter dictas partes, inque annum, menſem ac diem ſupra citatos inciderit. Eſt tamen hoc unum illorum, quæ dicta ſunt, fundamentum, quo revulſo nec cætera conſiſtunt. Illud inficias non eo, reperiri fœderum tabulas, quæ Amedæi & Jolandæ meminerint: ſed ſunt illæ toto triennio poſteriores iis de quibus fertur Lipomannus loquutus. Notantur enim ſub annum cIɔ cccc LXVII. Illis in tabulis duo ſunt animadvertenda: primo, quod nuſquam in illis Sabaudo Duci Celſitudinis ac Sublimitatis tituli tribuuntur, ſed Excellen-

lentiſſimi & Illuſtriſſimi: ſecundo, quod ubique nomen Ducis Veneti præcedat nomen Sabaudiæ Ducis. Enimvero belle Galenus, duo eſſe inventa, quæ recte dictis factiſve fidem faciant, rationem ſcilicet & experientiam. Per quas cum certiſſima breviſſimaque inquirendi ratio ſit, ſciat adverſarius neutrum hic dari. Non experientiam, quia non probatur. Non rationem, quia licet omnes ad affectum atque appetitum utilitatis ſuæ, naturæ ipſius miniſterio atque impulſu, ducantur, cauſa tamen aſſignari nulla poſſit, cur Veneti ex amicis inimicos, ex benivolis infeſtos ſibi reddituri fuerint vicinos Dynaſtas tali diſtinctione, quæ nec privatim jucunda, nec in publicum utilis eſſet, neque ulla ſui parte ſive neceſſaria ſive honeſta. Sed quorſum ambages? recolligat ſe adverſarius & inquirat, quo primum tempore titulum Celſitudinis Duci Sabaudiæ detulerit Reſpublica Venetorum: videbit non ſponte aut temere datum, ſed perquam inſtante & adnitente ipſo Duce: nec adnitente quidem pro aliquo ſuo jure, tanquam ſi creditum exigeret à moroſo debitore, ſed officiis, blandam (ut ait ille) gratiarum faciem non averſantibus. Non ita multi ſunt anni, ex quo id ita ſervari primitus cœpit. Ulteriora rimari aut veſtigare ſi cupit, inveniet dictam Rempublicam titulos Sabaudo Duci tribuiſſe tales, quales ei pro dignitate,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

gnitate, quam tuetur, ex decoro, nec minus æquo & bono fuerint tribuendi: ullam vero cum regalibus titulis aut prærogativis mixturam non inveniet. Pergit adverſarius, placuiſſe cum primis Senatui Veneto nomen Sublimitatis, quod cum & alias proprium Regibus agnoſceret, ſibi aſſumendum duxerit, quo ſub iſto honoris titulo parem cum Regibus dignitatem tueri poſſet. Quibuſcum quandoquidem altercari continue atque collidi nollet, tacite iis, ut ſibi haberent ſuum Majeſtatis nomen, voluiſſe. Atque etſi hoc tempore Serenitatis titulum impenſius amplectantur, non ita diu eſſe, cum magis apud illos in uſu fuerit vox Sublimitatis. Ergo quoniam conſtet Rempublicam Venetam Sabaudo Duci iſtiuſmodi titulum tribuiſſe, qualem ſibi habet atque aſſervat peculiarem: liquido etiam apparere, cur Lipomannus Sabaudiæ Duces à Republica Veneta non modo titulo Celſitudinis, verum etiam Sublimitatis inſigniri dixerit. Verbo dicam, hoc vult, Regibus æqualem Venetorum rempubl. pari ſecum æſtimio habuiſſe Ducem Sabaudiæ; ac proinde nihil tam eſſe conveniens, quam ut ſerventur quæ ſemel placuerunt. Et poterant quidem hæc ſilentio tranſmitti, poſt confutatum è Lipomanni relationibus argumentum. Tueri nos poterat nuda negatio noſtra, quæ probationes circa Celſitudinis & Sublimita-

tis titulos à Venetis (ut perhibetur) datos merito exigit: neque eſt quicquam, quod ab illationibus ex iſto argumento petitis cauſæ noſtræ nociturum timeremus. Cæterum quoniam nonnulla hic ſe oggerunt notatu non indigna, pauliſper hic morabor, & quæ videbuntur in rem eſſe, proferam. Primum ergo hic obſervandum eſt, quod non modo liberam ac ſui juris eſſe Rempublicam Venetorum adverſarius fateatur, verum etiam agnoſcat, illam pro jure ſuo è titulis honorum, qualem ſibi voluerit, aſſumere potuiſſe: talem porro aſſumſiſſe dicat, qui vel ipſo Iudice Regalis ſit: atque illum ſic denique tueri atteſtetur, ut jus faſque eſt ea nos defendere, in quæ nemini præter hos ipſos poteſtas eſt. Alterum eſt atque huic obverſum, quod noſter autor Regios honores Duci ſuo admetiri non auſit, niſi ex delatione & beneficio aliorum, quibus eum primo æquatum velit, ut exinde faciat ſuperiorem. Sed ante omnia hic noſcendum, quam hoc loco circumſpectus ſit ac vafer. Suprema Majeſtatis jura vindicare alicui, & eum tamen Regibus Liberiſque Rebuſpublicis inferiorem fateri monſtrum eſt ex diverſis pugnantibuſque conflatum. Quod neque mos neque Imperiorum natura admittunt. Cum tamen alio genere aſſentandi, ne pelluceat, approbare ſe Principi ſuo non poſſit, quo ne iſta novitas in illo conſpicua ſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Sereniſſ. Venetorum Rempubl. vocat ad partes, & illam ſummis juribus omnibus præditam nihilominus Regibus concinnat inferiorem. Scilicet Venetos, quia cum Regibus ob aſſumptos Majeſtatis titulos, quippe ſupremos, collidi vererentur, Sublimitatis titulo contentos, iis reliquiſſe nomen Majeſtatis. magnum acumen! Ut video, ſola Regum ſic eſt Majeſtas, ut eam Liberas ac cætera Regibus ἰσοδυναμȣ́σας reſpublicas vindicare nefas ſit: ut vindicando noxam committere, in aliena, ac ſupra ſe poſita involare exiſtimentur. Sed enim quandoquidem Veneti, quacunque ipſorum ditiones ſe expandunt, abſolute imperant, ridiculum ſit, quibus Imperii vim ac poteſtatem adimere non poſſis, nomen ac titulos Imperii indices nolle conceſſos. Si Venetorum res abſolute ſumma non eſt, ne quidem Sabaudo Celſitudinis ac Sublimitatis titulos concedere potuerunt. Abeant ergo in Morboniam omnia, quæ ex iſtiuſmodi communicatione ſperantur aut petuntur. Ita implicuit ſe adverſarius, dum invidiæ dentem à Sereniſſ. illa Republ. abſtinere nequit. Accommodat ab ea Duci ſuo, quæ niſi à Republica ſummo imperio prædita & ſummis imperiis pari accepta referantur, nihil prorſus Ducem Sabaudum juvabunt. Et tamen adeo malignus eſt, ut Majeſtati ejus detrahat, hoc eſt, beneficium, quod in Ducem Sabaudiæ

col-

collatum vult, deſtruat: ſed nos recta eamus. Nulla ratio dari poſſit, cur non tam Liberis Rebuſpublicis competat nomen Majeſtatis quam Regibus. Quam & jura eis & receptus apud Veteres uſus loquendi tribuunt. Jura ſi ſpectamus, ipſum læſæ Majeſtatis crimen primario refertur ad Majeſtatem populi Romani, l. 1. ff. ad leg. Jul. Majeſt. ut & enatum ex illa Majeſtate jus animadvertendi in fœderatos reos, l. non dubito. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ. Uſum deinde quod attinet, paſſim apud Hiſtoricos occurrit Populi Romani Majeſtas. Et quid Hiſtoricos dico? Tullius Majeſtatem definit, quod ſit magnitudo Pop. Rom. in ejus poteſtate ac jure retinendo. Idem Majeſtates eſſe in Imperio P. Romani atque omni dignitate pronunciat. Quoties populorum obvia fit mentio illius populi Majeſtatem comiter obſervantium? Nihil certius, quam ſi modo Venetæ Reipublicæ collubuiſſet Duces ſuos inſignire titulis Majeſtatis, tam id ipſis in promptu fuiſſe futurum, quam nullo intercedente titulos Celſitudinis, Sublimitatis ac Serenitatis ſuos fecerunt. Non eſt aliqua ſumma poteſtas, quæ non etiam à nullo dependeat. Si quo, ne cum Regibus colliderentur, abſtinendum ſibi à Majeſtatis titulis Veneti judicarunt, neceſſe eſt Regibus omnino aliquid juris in Venetos fuiſſe; juris dico ultra Majeſtatis ipſius extre-

ma ſupremave ſe protollentis: neceſſe eſt Venetis qualem qualem denique fuiſſe neceſſitatem Regibus decedendi in explicando jure ſummæ poteſtatis. Eſt tamen horum neque hoc neque illud verum: utrumque etiam naturæ Majeſtatis repugnat. Injurii ſimus in illum publicæ mentis ac ſalutis Principem, in illum non temeratæ, non temerandæ libertatis cuſtodem, Præſidem & propugnatorem Senatum, ſi credamus voluiſſe hunc caput exſtare in republica libera, non unius Regni, non unius Provinciæ Domina, cui minus ſit deferendum quam cæteris membris. His interim omiſſis attendamus agedum ad ipſam cauſam, quæ eos movit, ut à Majeſtatis nomine abſtinuerint; non longe poſita eſt, invenietur: ſcire tamen opus eſt, quo manum extendas. Audiat hoc & diſrumpatur ambitio. Non alia cauſa eſt, quam pertinax amor libertatis, omnibus Rebuſpublicis quodammodo peculiaris; Venetorum autem non pectoribus modo, ſed & penitiſſimis fibris inſculptus, immo inuſtus. Propria Venetorum libertas eſt, & ejus retinendæ ſtudium quovis affectu flagrantius. Hinc fit ut ne Regales quidem titulos, omni jure Reipubl. ſuæ debitos, à ſuis patiantur uſurpari. Itaque de illis jure merito invertas illud quod eſt apud Latinum Pacatum in Panegyrico, dicaſque Regnum uſque ad nomen odiſſe, non Romanorum

magis

magis eſſe quam Venetorum. Irrefragabili argumento dicta confirmat, quod in tot ſuarum ditionum, Provinciarum, Regnorum Præfectis nemini permiſere titulum Vicarii Regis. Adverſarius, qui reſpectu Regni Cyprici Sabaudiæ Duci vult deberi titulos regales, nequaquam opinor, dicet, ſuum Ducem utcunque in Sabaudiæ Ducatu Vicarium Imperii ac Vaſallum, non regem fore in regno ſuo, modo regnum aliquod ei obtingat ἀνυπεύθυνον. Idem de Republ. Veneta valeat, neceſſe eſt: atque eo quidem impenſius, quia una cum naſcendi primordiis Majeſtatem orbi terrarum explicavit nulli obnoxiam. Hanc talem tantamque Rempublicam tam longè ac late dominantem non dies, non ætas vidit ullos ditioni ſuæ titulos oſtentui circumferre jactabundam. Igitur ob hoc ipſum à ſecretiore ſui parte formoſior ac validior eſt, quod bona ſua ſibi habeat, ſentiat illa, minus oſtendat. Qui quæ non capiunt, concupiſcunt titulorum inania, ſectantur introrſus miſera, foris fulgentia. Cæterum tot jam ſæculis rerum potentem atque indomita Majeſtate conſpicuam ad apices hujus aut illius verbi, (namque & pueri Majeſtatem, & matronalem Majeſtatem Livius, loci Majeſtatem Oratores frequenter memorant) ablegatam velle vanorum ingeniorum eſt, & muſcas perſequentium, non viri boni & gravis. Siqua in eo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

gloria eſt, quod tanquam herbam parietariam brevem quis magnitudinis, quam nec habuit, nec habet, ſpeciem ſtruere ex aliena velit, habeat hanc pupam ſibi, ludatque ea & delectetur quantum volet. Sua Venetis Imperii vis, ſua Majeſtatis gloria in integro eſt, addita modeſtiæ fama, quæ neque ſummis mortalium ſpernenda eſt, & à Diis æſtimatur.

CAP. XVI.

Magnum Hetruriæ Ducem non dediſſe titulum Sereniſſimi Duci Sabaudiæ. Principes Italiæ Sabaudiæ Duci ſplendore titulorum minime cedunt. Lipomanni & Sanſovini teſtimonium rejectum.

SEd & nunc Lipomanni teſtimonio probat adverſarius Magnum quoque Etruriæ Ducem Sereniſſimi & Suæ Celſitudinis titulos Sabaudo Duci tribuere: cum tamen vice verſa non ſoleat eum Sabaudus ſimilibus titulis compellare. Probat ad hæc teſtimonio Fr. Sanſovini, qui alias ipſemet Hetruſcus fuit, ac proinde Duci ſuo nihil minus quam derogaturus, debere in inſcriptionibus Epiſtolarum ad Sabaudiæ Ducem Sereniſſimi titulum poni, cum tamen Etruriæ, Ferrariæ, Mantuæ atque Urſini Duces non aliter quam Excellentiſſimi ſint compellandi. Quibus autoritatibus, ut ſolet interdum, etiam alium appingit colorem, & velut rationes ex eodem Sanſovino addit, nimirum hoc nomine Sabaudiæ Duci

Duci Sereniſſimi titulum deberi, quod aut Galliæ Regem ſanguine tangat, aut quia ditiones illius Regno ſimiles ſint, aut denique quia in nonnulla Regna ſibi jus eſſe contendat, quæ vel occupando majores ejus ſua fecerint, aut per matrimonia quæſiverint. Unde (ut ille quidem refert) dubio procul eveniat, ut in hæc uſque tempora, quibus turbari cuncta ac miſceri videas, nulli Italiæ Principes auſi fuerint, cum titulis Ducis Sabaudiæ titulos ſuos componere, ullamve hinc inde collationem inſtituere. Reſpondeo, dici hæc quidem ab adverſario, ſed non probari. Tantum abeſt, ut (Venetos ne quidem excipere neceſſe eſt) ſplendore titulorum quotquot ſunt Italiæ Principes ceſſerint Sabaudo Duci, ut nec in hunc diem aut cedant aut cedere velint. Nunquam hoc de Mediolanenſi Duce, nunquam de Etruſco probabitur: nunquam docebitur, cæteros Italiæ Principes ſic ſe compoſuiſſe ac ſi eſſent minoris dignitatis, quam Dux Sabaudus. Atqui hoc ſi inſtituti mei eſſet demonſtrare, vel ſi probandi neceſſitate urgerer, eſſent in promptu exempla, eſſent autoritates, cæteraque juſtarum probationum adminicula. Sed vero intra cœpti metas me continere decrevi, contentus oſtendiſſe, ea quæ ille adduxit juri rationive conſentanea non eſſe: ſua unicuique privatim, prout videbitur, tuenda relinquo. Miror interim quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

hic noſter, cum nihil niſi magna nomina identidem crepet, Reges, Auguſtos, Pontifices, è tanta, ut videri vult, probationum copia nullum adducat teſtimonium, quod Sabaudum in concurſu cum Principibus Italiæ præ iiſdem eximium habitum fuiſſe ſignificet. Sed ſi recte oculis utor, neque hic ingenium ejus debemus adſpernari. Facile ſuſpicatus eſt, nondum excidiſſe manibus hominum illam à Carolo Quinto anno cIↃ IↃ XXXV. Genuæ latam (quippe quæ typis evulgata & publici juris facta ſit) ſententiam: in qua Magnus Cæſar Sabaudiæ Mantuæque Ducibus, nec non Marchionibus Salutiarum promiſcue atque indiſtincte Illuſtriſſimi titulum defert. Quis hic non animadverteret, pluris faciendum eſſe hoc unicum Cæſaris judicium, quam vel integras myriades autoritatum à privatis ſcriptoribus privatarum? Accedat præſertim Sabaudiæ Ducis aſſenſus, quem Cæſareo huic effato interceſſiſſe, aut ſeſe oppoſuiſſe nunquam vidi, quemque ex adverſo conſtat beneficio ſententiæ illius non vulgariter uſum. Hoc ſilet ille, hoc tranſit, quaſi nunquam contigiſſet: Lipomannum ſuum & Sanſovinum effert, & inſtar Gorgonis oſtentat nobis. Quid ergo? Vateſne fuit ille Lipomannus, ut ſciret tot precibus, tot blandimentis, promiſſis ac officiis exambitum quam calidiſſime titulum Sereniſſimi an. cIↃ IↃ C XXX.

dic

die menſis Junii VIII. ſupra XX. Sabaudo Duci ab Imperatore conceſſum iri? Præluſit credo & omnia dedit venturæ magnitudini, & poſt tam immenſi temporis intercapedinem cingendum (qui J. C^tis loquendi mos) habuit pro cincto. Siquis hæc deridiculo dicta putat, cui opinioni non intercedo, nolit id autem fieri, oſtendat velim qua authoritate Lipomannus, qua conſuetudine tum didicerit, deferendos Sabaudiæ Duci eſſe Sereniſſimi titulos. Ne ipſe Sabaudus quidem accepto Imperatorio beneficio ſuper vota & meritum beatum ſe eſſe ignoravit, quando non ab omnibus præfracte exegit illum titulum, ſed potius quæſitiſſimas Reipublicæ Venetæ gratias egit, quod ſe non Sereniſſimi, ſed Suæ Celſitudinis titulo dignata eſſet, cum antea Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi tantum nominibus uti ſoleret: tam longe abeſt, ut quicquam præſidii ſibi ponendum habeat in iſta Lipomanni aliiſve ſimilibus relationibus. Non diſpar ad Sanſovini teſtimonium reſponſio eſt. Expediti eſt juris, ſola teſtatione prolatam, nec aliis legitimis adminiculis adprobatam cauſam nullius momenti eſſe. l. ſola C. de teſtib. ubi gloſſa per ſolam teſtationem intelligit, quæ fit ſine additione cauſæ aut rationis neceſſario concludentis. Neque immerito, ſola ratio aut cauſa eſt, quæ dictum teſtis aut confirmet aut infirmet. Habet hoc cum pri-

mis locum, ſi quando de alicujus qualitate, conditione ac ſtatu quæſtio eſt: quo nimirum caſu juris eſt incunctabilis, teſtes etiam non interrogatos, atque adeo ſua ſponte dicti ſui rationem reddere teneri. DD. in c. cum cauſam. x. de teſtibus. Iuſpiciamus nunc quam vel Lipomannus vel Sanſovinus aſſignent rationem, cur Sereniſſimi titulum Sabaudo Duci tribuendum putent. Suam Lipomannus à facto deducit, Sanſovinus à credulitate, uterque perperam juxta & invalide. Nobis hac diſſertatione non quæritur quid fiat, ſed quo jure: ubi vero juris ventilatur quæſtio, nunquam de facto J. C^{tus} reſpondeat. Credulitas quoque F. Sanſovini ne nuda quidem aut ſolius teſtationis vires habet. Qui quid atteſtatur, certum ponit: qui ſolummodo credere ſe aſſeverat, ne id ipſum quidem poſitive adſeverat quod credit. Non habendam eſſe fidem de credulitate deponenti leges ſanxerunt: & eſſe omnino paria, ſiquis nullam ſuæ credulitatis rationem adducat, aut ſi talem quæ non neceſſario rem concludat ac finitive. Parum utique eſt quod Sanſovinus id ideo ſe credere dicit, quia Sabaudiæ Dux ſit Galliæ Regi ſanguine junctus, vel Regiis affinitatibus innexus. Illud enim ſi regales prærogativas conferre poteſt, idem de Ateſtinis dicendum erit, de Magno Etruriæ Duce, Mantuano, Mutinenſi: eadem pro ſe habent, tot numero & tanti

tanti Principes, quos tamen autor noſter credere non vult paria vel cum ſuo Duce facere poſſe, ut ita nihil ei præ cæteris eximium ſit remanſurum. Neque excuſat credulum Sanſovinum, quod facili fidei ſuæ fulcimentum dat, Ditiones Sabaudi Ducis Regno quam ſimillimas eſſe. Nihil enim imperitius in civilium rerum diſputatione dici poteſt, quam ideo quod quis lato territorio ac ditioni præeſt, quæ regno ſimillima ſit, prærogativas regales & regni jura quemquam vindicare poſſe. Sane communiter quos ratio eadem aut par conditio conjungit, eodem jure cenſentur, & ad minimum quoad illius juris diſpoſitionem ſeparari non debent. Verum ſi duo in re aliqua, ea forte non ſatis explorata quippiam ſimilitudinis habere videantur, illos comparare in omnibus unumque ad alterius modum ſtringere ac dilatare velle, nec legitima nec naturalis ratio concedit. Minus etiam in tanti præjudicii cauſa, ubi hoc pacto fieri non poteſt, quin turbentur ordines dignitatum, violentur jura Majeſtatis, ſumma imis confundantur. Quod denique Sanſovinus vult eſſe quædam Regna, in quæ jus ſuum durare Sabaudi Duces arbitrentur, utpote quæ à Majoribus illorum vel occupando quæſita ſint, vel matrimoniis parta, totum futile eſt. Suo loco affatim cum bono Deo videbimus de quæſitis per matrimonia. At quæ-

nam illa ſint, quæ Majores Ducis Sabaudiæ aut juſtis occupationibus aut omnino occupationibus ſua fecerint & ad Nepotes tranſmiſerint, equidem doceri pervelim. Interim ad Regales prærogativas acquirendas non ſufficit, ſiquis hoc vel illud regnum ſibi deberi contendat: ut habeat, requiritur ad minimum ut habuerit, neque ejus recuperandi inſtitutum ex animo ejecerit: non titulus regni dubius ſpectatur, ſed regnum, non ſpes, ſed res. Hæc ſi abſit (ut certe Sabaudo Cyprii regni veteres nænias reſuſcitanti & ſpes & res decollavit) non eſt ut ad exoleta illa atque jamdudum ſepulta oculos retorqueat. Nulli bono futuram diligentiam ut curioſam dimittere in ea quæ fuerunt, non eſt neceſſe.

CAP. XVII.

Sabaudus κατ᾽ ἐξοχὴν male Celſitudo Sua vocatur, recte ſi inter ſuos & à ſuis.

REvocamur ad prima juris Civilis elementa. Sic Imperator Juſtinianus Inſtit. de Jur. Natur. Gent. & Civil. §. ſed jus. *Cum Poëtam dicimus nec addimus nomen, ſubauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius.* Adverſario exemplum placet, & Sabaudiæ Ducem κατ᾽ ἐξοχὴν in inſcriptionibus Epiſtolarum & quotidiano ſermone titulo Suæ Celſitudinis vult deſignari. Nihil ſolidi. Nemo in aula Sabaudica cum de Duce ſermo eſt, non

com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

compendifecerit loci, in quo degit, mentionem. Quem unum in hoc loco eſſe ſcimus, eo ibidem nominato, ut certius cognoſcatur, loci nomen adjicere putidum eſt, & citra morem. Cum ad ſuam Majeſtatem Lutetiæ literæ deſtinantur, nemo credet eas ad Regem magnæ Britanniæ ſpectare: cum Florentiæ ad Suam Celſitudinem aut ad Magnum Ducem, nemo verebitur ne alteri tradendæ ſint, quam Duci Etruriæ. Habet omnis literarum inſcriptio tum illius nomen & titulum ad quem directa eſt, tum & nomen loci ad quem deſtinatur. Itaque cum ſupra ſcribitur ad Suam Celſitudinem, & in eadem inſcriptione ſub infimam chartæ oram adjicitur, Taurini; nulla ibi eſt ἐξοχὴ niſi in illo loco, at neque talis ἐξοχὴ quæ Sabaudiæ Ducem ſupra cæteros attollat, aut ſuperioribus æquet, ſed tantum ratione ſubditorum, in quos ei imperium eſt. Honores iſthic loci, vel ſi tergeminos velit aut majores, exigat. Sit ibi Tranquillus, Manſuetus, Clemens, Felix, Serenus, Pius, Optimus, Maximus, Sanctiſſimus, Victor, Triumphator, Auguſtus, Magnificus, Excelſus, Sublimis: aſſignentur ei Divina Clementia, Sacra Elogia, Sacra Majeſtas: geminentur ei atque adeo ingeminentur, Adoranda Sua Divina Serenitas, Sua Perennitas, Sua Æternitas: quicquid tota adulantium ſchola in Imperatores eructavit, habeat: quicquid uſpiam

aut

aut nominum aut titulorum eſt, ei congeratur: Pontium Aquilam, per quem minus id liceat, quive intercedat, non inveniet, modo

illa ſe jactet in aula
Æolus, & clauſo ventorum carcere regnet.

CAP. XVIII.

De titulis qui in aula Hiſpanica & Gallica Sabaudiæ Duci tribuuntur late diſſeritur, & oſtenditur neutros Regales eſſe.

ADverſarius hactenus ſatis ſcite fumos ſe vendidiſſe exiſtimans, ne in extremo deficeret, ſed ſe ipſum potius ſuperaret, ingenti, nebuloſoque, & omnium ut ſperat, oculos obnubilaturo volumine deſinit. Hiſpaniarum & Galliarum Reges duos ex potentiſſimis orbis Chriſtiani arbitris obducit nobis, ut ad tanta præjudicia, ſi imitari nolimus, obſtupeſcamus tamen, pedem referamus, Harpocrates, ut ille ait, reddamur. Ac Philippum quidem Regem Celſitudinis Suæ titulo ſalutaſſe Sabaudum Ducem: Reges vero Galliæ Fratrem eum appellitare; alios Principes non item, qui non niſi cognati & affines vocentur. Id adeo novum non eſſe, uti & Maximilianus I. & Carolus V. Auguſti idem laudabiliter præiverint. Quin & hoc inter Gallos Sabaudoſque moribus receptum, ut quæ Gallis Regibus gradu ſuperlativo dentur, eadem ſibi habeant Sabaudi Duces, ſed poſitivo gradu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

du. Ea vero etiam, quandoquidem Galli Regum ſuorum honores augere & attollere conſueverint, una cum his increviſſe & prolata eſſe. Denique eoſdem titulos Sabaudo Duci fuiſſe tributos, quos Regibus, licet numero inæquales, utpote ſi ternos Regi, binos Duci. Exemplo ſit, ſi Regi ſcriberetur Celſiſſimo, Excellentiſſimo, Potentiſſimo, Sabaudiæ Dux Excellentiſſimus, Potentiſſimus vocabitur. Hæc multum ſpeciei, animi, confidentiæ habent, veritatis parum. Sequitur præturgida & faſtuoſa dictorum anacephalæoſis: Quandoquidem annis ab hinc ſexcentis Pontifices, Imperatores, Reges, Principes orbis Chriſtiani Sabaudos Duces titulis & honoribus regalibus, aut non multo inferioribus, iis certe, quales uulli cujuſvis conditionis Principi exhiberentur, continue atque unanimiter cohoneſtarint; quandoquidem tota Italia conſentiente Serenitatis ac Celſitudinis titulos poſſideat; recte & ordine facere Sabaudos Duces, ſi hoc tempote, quo illi tituli magnam partem promiſcuo uſu obſoleſiunt, & meſſem eorum ubi vis eſt metere maximam, eos teneant, qui ſtatum decent ſuæ dignitatis: & ſi titulorum diſcrimine ab iis ſegregatos ſe velint, quibus ſuperiores ſemper fuerunt: hoc temperamento, ut ſeſe æquo gradu cenſeri cum iis nolint, quos agnoſcant ſuperiores: quos inſita Sabaudorum genti modeſtia &

more

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

more comitatis de manu velut in manum tradito, lubenter ſuſpiciant ac venerentur. Hoc propoſitum cui diſpliceat, qui novitatis id nomine criminetur, eum ferreum, improbum, intolerandum eſſe. Sic fere clauditur peroratio. Jam ut nos officium noſtrum faciamus, omnia illa tanta ſtrue, nihil adeo ſunt quam fumi, nec ventum acriorem patiuntur. Et profecto comperimus id ingenium fallaciæ eſſe, ut ubi tutiſſime latere ſe arbitretur, ibi prudentibus manifeſtius deprehendatur. Primum ergo videat adverſarius, an impleverit opinionem ſapientiæ ſuæ, cum rurſus focum ſuum calefacit in Celſitudinis titulo ab Rege Hiſpaniarum accepto, qui jam ante Serenitatem, quam ſolius Imperatoris eſſe autumabat, ſuo Duci vindicare conatus eſt. Sed ita opinor venit ei in mentem, quondam Ducem ſuum Venetis immortales egiſſe gratias, quod eum titulo ſuæ Celſitudinis honorare dignati eſſent, vel tum temporis quo jam Sereniſſimi titulum beneficio Imperatorio erat conſecutus. Sed hic titulus à Philippo datus, ſi regales prærogativas in ſe complecti & continere dicendus eſt, omnino ſequitur habuiſſe Philippum & Sabaudiæ Ducem, & aulam illius, haud alio loco, quam quo Reges & Regalem. De ipſo mox videbimus. Aulam quod concernit, neque Regalibus annumerata eſt unquam, neque annumeratur in

hunc

hunc diem. Excutiantur hiſtoriæ: non inveniemus Sabaudum inter Hiſpaniæ Magnates habitum, eive coram Rege conſidendi aut capitis operiendi licentiam fuiſſe datam. Qui in omnia penetrare potuit adverſarius, & Archiva inſpicere, quæ nullus mortalium unquam vidit aut videbit, quidvis mihi præſtiterit, & vel archiva illa viſibilia reddiderit, quæ nuſquam ſunt, ſi horum aliquid probet. Quod niſi facit, operam, quod ajunt, & oleum perdidit. Argumenta quibus adhuc uſus eſt, duo ſunt: Prius quoniam Hiſpaniæ Rex Suæ Celſitudinis titulo neminem dignatur præter unum Sabaudiæ Principem, oſtendi hoc judicio, eum præ cæteris eximium haberi merito. Alterum, quia titulus ille Suæ Celſitudinis revera Regius eſt, tantum Regem ampliſſima, & irrefutabili autoritate fateri Sabaudo Duci titulos regales privatim deberi. Reſpondeo, ſuppreſſione veri non leviter peccare adverſarium. Primo generaliter verum non eſt, Celſitudinis vocabulo Ducem Sabaudiæ in aula Hiſpanica ſic dignoſci, ut qui cæteris in illa dignitate anteſtet. Secundo nego ullo unquam tempore talem ei titulum attributum fuiſſe ut Duci Sabaudiæ. Tertio nego Magnates Hiſpanos in illius tituli conceſſionem conſenſiſſe, ante illud, de quo mox, decretum, Philippo II. jam fato functo, & rerum potiente Philippo tertio. Hæc tria adver-
ſario

ſario ut obtinere poſſit, eſſent probanda. Atqui veriſſimum eſt, nihil horum probari poſſe. Quod etſi demonſtrare meum proprie non ſit, quem ſatis atque abunde tuetur ipſa negatio, ut tamen me quam candidiſſime procedere lector animadvertat, judicetque quæ negavi talia eſſe, ut non potuerint debuerintve non negari, liberalis ero, & oneris quantillum in me derivabo. Primum quod attinet, indubium eſt in aula Regis Hiſpani ſic determinatos eſſe omnes omnium titulos, ut nemo non debitos ſibi arrogare aut auſit, aut poſſit: nec minus incertum titulos quorumcunque Ducum infra Celſitudinem haberi. Ut & notum eſt κατ' ἐξοχὴν Celſitudinem ſuam neminem dici, qui non & idem ſit in regno ſucceſſurus. Conceduntur interim hi ſuarum Celſitudinum tituli omnibus & ſingulis illius regni (ſic vocant) Infantibus. Neque id indiſtincte, ſed in fine demum libelli ſupplicis aut epiſtolæ, quotieſcunque eos vel ſcripto vel libello ſupplice adiri contingit. Hinc patet, ſi verum eſſet ſpeciatim & ad cæterorum differentiam Sabaudo Duci conceſſum fuiſſe titulum Suæ Celſitudinis, & per conſequens, judicaſſe Regem plus dignitatis penes illum Ducem reſidere quam penes cæteros, neceſſe eſt aut non eſſe illas aut ſolutas eſſe conſuetudines regni. Quod fieri non poteſt, tantum enim non ipſa verba legis (Hiſpani pragma-
ticam

ticam vocant) de honorum ac titulorum curialium ſolemnibus, latæ anno cIɔ Iɔ LXXXVII. die Octobris VIII. recitavimus. Ipſa vero ex Hiſpanico latina facta ſic ſonant: *Vt Principibus & Succeſſoribus horum noſtrorum Regnorum Infantibus utriuſque ſexus ſola tribuatur Celſitudo. Superior ſcripturæ pars habeat verbum Domini* (Sennor) *eandem claudat, Deus Celſitudinem veſtram ſervet; abſque ulla alia* (*fas ſit ita loqui, Hiſpan.* Corteſia) *curialitate.* Et poſt paulo: *Quando abſolute dicitur Sua Celſitudo, id attribuendum eſt uni ac ſoli Principi horum noſtrorum Regnorum hæredi & ſucceſſori. Generis & affinibus* (cunnados) *horum noſtrorum regnorum, quæ alias uxoribus ipſorum, eſſent exhibenda, deferantur: nuribus autem atque affinibus regalibus iidem honores exhibeantur, qui maritis. Vt in inſcriptionibus ad Antiſtites exprimatur nomen Eccleſiaſticæ dignitatis qua funguntur, ad Duces, Marchiones, Comites nomen ditionum quibus præſunt. Equeſtris porro ordinis & qui ſunt alii, ſuo privatim nomine compellentur, ſcribendo: Cardinali, Archiepiſcopo, Epiſcopo talis vel talis diœceſeos: & eundem ad modum Duci, Marchioni, Comiti hujus vel illius ditionis.* Huc uſque lex religioſe obſerta. Cujus tenor docet in manifeſtiſſimo errore adverſarium verſari, qui nobis tam aliena à veritate perſuadere conatur. Videamus ſi placet ſecundum. Philippus Rex ſi Sabaudiæ Ducem titulo Celſitudinis Suæ decorandum cenſuit, aut hoc fecit antequam lata eſſet jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

dicta Pragmatica ſanctio, aut poſt. Si ante, ceſſabit haud dubie Celſitudinis ille titulus, cui jam derogatum eſt, nec ullum habet locum contra textum & tenorem legis. Proprias vero leges everſurum fuiſſe Philippum, ſanctionum ſuarum vel ad exactiſſimam ſeveritatem tenacem, & in minimis quoque præfracte rigidum (talem enim eum Hiſpanici annales paſſim & omnes deſcribunt) nemo crediderit. Id ipſum vero factum fuiſſe à Philippo ratione Sabaudici Ducatus, omnino erroneum, utpote quod & factum foret in fraudem Regis, & cujus intuitu Sabaudiæ Dux ipſo facto præpoſitus fuiſſet omnibus & ſingulis Hiſpaniæ Magnatibus, qui ne quidem æquis oculis exæquatum illum ſint aſpecturi. Quod longe abeſt, ut beneficio tituli conſequatur: inferior quippe Magnatibus, & ſedendi prærogativa, & caput coram Rege tegendi, quæ ipſis unica ſunt & ſumma magnitudinis, qua ſe præ cæteris efferunt, argumenta. Neceſſe eſt, ut ex his tricis geſtarum rerum fides nos expediat. Ergo ut quod res eſt dicamus, negari non poteſt, Philippum Regem titulo Celſitudinis eum compellaſſe, quo nimirum tempore genibus ſuis venerationis ergo advolutum aſſurgere jubebat, idque illa vice etiam feciſſe Hiſpaniæ, qui tum aderant, Magnates. Cæterum facti illius non longe quærenda cauſa eſt. Erat Carolus Emanuel

Sa-

Sabaudiæ Dux Philippi Regis gener, ducta in uxorem Iſabella Hiſpaniarum Infante. Dedit ergo Rex illud honori filiæ ſuæ, utrumque ex præſcripto ſeu dictamine legis modo citatæ. Accedebat & altera cauſa, quod eodem loco à Magnatibus eum vellet haberi ſuis, hoc ni foret, tantum titulum ſua ſponte Sabaudo non conceſſurus, ut nec certe conceſſiſſe mihi curatiſſime rimanti huc uſque pro comperto eſt. Similiter anno ſupra cIɔ & Iɔ nonageſimo primo cum Sabaudo ad quartam circiter leucam Rex obviam proceſſiſſet, & ſimiliter in genua procumbentem ſalvere ipſius Celſitudinem Rex juſſiſſet, fecere id itidem illo tempore Magnates. Cæterum cum poſtmodum Rex eum ne quidem Gratiæ titulo (Hiſpanis *V^ra^ Merced*) ſed ſolita voce *Vos* compellaret, nec ipſi quidem Sabaudo titulum Celſitudinis tribuerunt: ut nec invicem Sabaudus ſolitos Magnatibus titulos. Unde frigus primo & reciprocarum viſitationum intermiſſio, quæque iſtiuſmodi apicibus adhærent, inſecuta ſunt. Neque remiſere, quoad uſque Philippo II. mortalibus exempto, communi aulæ Hiſpaniæ decreto placuit Suæ Celſitudinis titulo decorari Sabaudiæ Ducem, quippe Principem Regii ſanguinis. Tertium quod adferebam ex jam dictis ſatis manifeſtum eſt. Sed inſurgat fortaſſis adverſarius, & quia me fatente Sabaudo Duci titulus Celſitudinis ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Hiſpano Rege defertur, argumento ſuo aliquid roboris acceſſiſſe exiſtimet. Fruſtra: eo ipſo quod Celſitudinem Suam vocari voluit, à Regibus ſecernendum putavit. Nam cum illius regnorum ſuceſſor eſſe non poſſit, & proinde κατ' ἐξοχὴν Celſitudinis titulus in ipſum non cadat, inque eo diſtinctos ita ferente ſtatuto videamus Celſitudinis gradus, ut Regnorum hæredi duntaxat iſte titulus geminetur, cæteris vero poſt genitis ſimpliciter adſcribatur atque in fine, dicendum eſt, Sabaudum à prærogativis regalibus etiam ulterius ſummoviſſe. At neque hunc titulum adverſarius Duci ſuo vindicat ut Hiſpanico ſanguine proſato, ſed ſimpliciter ut Sabaudiæ Duci: quo intuitu neque Rex Hiſpanus, neque aula Hiſpanica, neque illius Regni proceres, quos Magnates vocant, immo nec procerum, denique nec mortalium ullus Sabaudo Duci titulum Celſitudinis tribuiſſe evincetur, aut hoc ipſo tempore tributum velle teſtabitur. Tranſeamus nunc ad Regem Galliꝫ. Hunc ait cariſſimum & amantiſſimum ſibi fratrem vocare Sabaudiæ Ducem, cum tamen cæteros Principes non niſi cognatos appellet & amicos. Item: Sabaudo Duci poſitivo gradu cuncta concedi, quæ gradu ſuperlativo Galliarum Regi conceduntur, & ſic ubi titulis ejuſdem gradus honorantur, non magnitudine priores ferre Regem Galliæ (ſunt enim utrique

que iidem tituli) ſed numero. Quaſi ex compacto ad eundem ſcopulum, ad quem ſæpe antehac, impingit. Quæro enim, an Galliæ Rex Sabaudiæ Ducem fratrem ſuum appellarit ut Ducem Sabaudiæ? hoc ſi adverſarius affirmat, partium ipſius erit, ut quæ credi vult, probet. Si vero id non audet aſſeverare, (ut certe non auſurum mihi pro exploratiſſimo eſt) nihil agit. Materia non ita pridem totius voluminis & quidem juſti Sabaudico ſcriptori fuit Hiſtoria Gallico-Sabaudicarum affinitatum per reciproca matrimonia contractarum. Omnes quotquot adducit, inſcriptiones non Principem oſtendunt, non Regem, ſed ſanguine junctum, ſed affinem. Habet ergo quod tota mente concupiſcit, nam qui à cæteris Principibus ſeorſim haberi deſiderat, ſeorſim habetur, ſi non ut Princeps, ſaltem ut Regiis dignitatibus innexus, ſi non dignitatum appellationibus, utique amoris & amicitiæ. Demus ergo quod noſter vult veros & genuinos dignitatum titulos à Gallis petendos eſſe, jamque etiam illos inde petamus, quoſcunque vindicabit: inveniet eos nihil regalis prærogativæ conferre. Quod enim dicitur Dominus Dux Sabaudiæ, nihil præ cæteris ſignificat eximii. Notius eſt quam ut dici prope mereatur, apud Gallos nomen Domini iſtiuſmodi tam eſſe protritum ac triviale, ut minorum gentium Dynaſtis, etiam To-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

parchis citra injuriam adimi non poſſit, neque vero illud nomen eam vim intus incluſam habet, qua vidimus ex Hiſpanorum lege ſecundogenitis id deferri, quibus nomen Domini emphatice admodum atque adeo abſolute concedi non eſt dubium. Norunt idiomatis Gallici ac ſtyli non nimis imperiti, ſi forte quid inſignitius aut cum majori poteſtate quam vulgo poni debet Domini nomen, utpote ad talem taleſve deſtinatum, quorum dignitas ſupra communem Dynaſtarum ſortem ſe attollit, non uſitatum eſſe verbum illud vulgare, *Monſieur*, ſed *Monſeigneur*: quemadmodum & ex illa gente unuſquiſque ſuum Regem appellat, ſuum Principem (*Mon Roy, mon Prince.*) Quod pergit adverſarius, Sabaudiæ Ducem à Gallorum Rege Celſum vel Altum quoque vocari & Potentem; adverſarii fidei commiſſum eſto: cujus tamen ſoli teſtationi ſi credamus, non titivillitio auctior erit ipſius cauſa. Quantillum eſt enim, quod eum dicit Altum vocari, qui vel tum poſtquam Sereniſſimi titulum beneficio Imperatorio eſſet adeptus, magnæ gratiæ loco deputavit, iis acceptum ſe ferre Celſitudinis nomen, quos nunc ex æquo, aut ſi detur ſuperiore è loco ſe poſſe adſpicere, dicam an deſpicere, exoptat? Neq; quemquam inventum iri confido, cui mirum videatur, Potentem vocari Ducem Sabaudiæ, modo ſciat quam multos J. C^tos docere,

poſſe

poſſe ipſum omnia in ſuo Ducatu, quæ Imperator in Imperio poſſit. Eſſent hæc (non diffiteor) qualiacunque demum ſunt per ſe magna, ſi Sabaudo Duci ſtatus controverſia moveretur, ſive eum quis de ſtatione ſua aut gradu deturbare vellet: nimirum ſi à nullo pendens ac ſic quoque abſolute ſummus unique Deo obnoxius jam tum fuit, ſeque ac Majeſtatem ſuam communi omnium ſuffragio potuit tueri adverſus omnes. Quod vero hoc tempore tam alieno Majeſtatem, quam neque habuit unquam, neque habet, à conquiſitis ſuffragiis arceſſere molitur, non ſatis eſt ex dignitate tanti Principis. Et quamvis Reipublicæ ex aſſe velit æquari, non erit tamen ſui uſque adeo aut indulgens aut oblitus, ut neſcire velit, eam pluribus ſæculis (geminet immo ſæcula, cui lubebit) & liberam fuiſſe & ſui Dominam, quam ipſe ditiones Beroldo Saxoni conceſſas, ut ajunt, deducere poſſit à Munificentia Arelatenſium Regum. Odio futuram veritatem conſulto tranſmittam. Nunquam adverſarius titulos Chariſſimi & & Dilectiſſimi æquarit Amici titulo: nunquam Sabaudiæ Duci tributum Potentiæ titulum iſti Potentiæ, quam Sereniſſimæ Venetorum Reipublicæ Galliæ Rex aſſignat, æqualem arbitrabitur. Scythas ut barbaros, nata tamen candori atque ingenuitati pectora, ſi audimus, inter Dominum & Servum nulla

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

amicitia eſt: ſi Philoſophum, ea non niſi inter pares coaleſcit. Quos ergo Rex ille Amicos dicit, ſupremæ poteſtatis, ad quam omnia collimant, intuitu pares agnovit. Potentiæ forte magnitudo diſcernat, quos interim æquant potentiæ jura. Qui exæquat ſibi latitudine potentiæ non jure minores, ſalvo utrimque partium jure, tales non extollit, ſed ſeſe demittit, hoc ipſo magnus, immo major. At vero quæ ſanguinis neceſſitudini, quæ conjunctioni atque affinitati liberalius concedimus, ea ut juri & æquo antevertant, ordinem turbent, ſtatum mutent, Majeſtatem lædant, ne quidem ſtatuendum putet. Dicendum foret, quanto ſuperlativus gradus poſitivum vincit, tanto Chariſſimum & Dilectiſſimum Sabaudum iis anteferri debere, qui non niſi Amici vocantur: ſed non adeo frontem poſuit adverſarius, ut hoc audeat profiteri, nec ea votorum eſt improbitate, ut quæ minus rerum humanarum periti ex iſta ſuperficie colligerent, ſapientioribus accipi debere contendat. Quamquam, ſi Diis placet, quænam eſt tanta hæc Sabaudi Ducis potentia? Subditos ſuos illi Duces ſi reſpectant; Domini ſunt directi: ſi vero, ut heliotroprium ad ſolem, ad ſuum convertuntur Imperatorem, tum maximi ſunt, cum ſe gloriantur eſſe vicarios. Quæ reſpectu ſubditorum poſſunt adverſus ſubditos, eadem & his majora adverſus

ipſos

ipſos poteſt Imperator. Sunt ipſi ſupra ſubditos Imperatorio beneficio, ſupra ipſos Imperator eſt, non alio quam ſolius Dei beneficio, per quem, ut dixi, reges regnant & Dominatores decernunt. Animadvertunt illi in reos ſibi ſubditos: in ipſos (exemplis ſi opus ſit, probari hoc poteſt, negari non poteſt) Imperator. Illis ſe devotos ſubditi profitentur; ipſi non diſſimili devotione ſupra ſe poſitum Imperatorem venerantur ac colunt. Non ero tam infrunitus, ut in eadem lance Venetorum res ſuſpendam. Ne quidem viliſſimum ſanguinem ſuum atque arenæ damnatum cum inferiore gladiator componat: ſi à Laniſta cum leviori comparetur, ignominiam judicat, ſcit eum cum ignominiâ vinci, qui ſine periculo vincitur. Sciunt omnes, talem libertatem tamque intemeratam Venetos fovere, ut nulla ab orbe condito inventa ſit Reſpublica, quæ ſimilem tutari potuerit: ut nec ullos in hunc diem rerum natura produxit, qui in defendenda atque aſſerenda libertate ſemper virgine paria cum ipſis facere potuerint. Illos ergo cum Amicos, cum Magnificos, cum Potentes ſummi Reges vocant, Amicos cognoſcunt ſibi pares, Magnificos ſuatim, Potentes ſuo jure, non alieno beneficio. Atque hæc hactenus, citra quidem neceſſitatem, non vero citra rem: quæ citra fraudem, citra præjudicium dicta ſunto. Judicet interim benignus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

gnus Lector, uter noſtrûm (dicam cum Ennio) cauponetur bellum, uter belligeretur. Nunc ne evagemur latius, paucis dicam: quæ de titulis qua numero qua gradu diverſis adverſarius jactat. Fatetur ipſe per hujuſmodi inſtrumenta probari, quæ neque concedenti quicquam derogent, neque alii jus aliquod, quod ante abeſſet, afferre aut confirmare poſſint. Nimirum dum pactis dotalibus, quibus ſanguis Gallicus Sabaudico mixtus perhibetur, tituli largiores adſcribuntur, non tam honorati in illis honor eſt quam honorantis. Iſta ut legem ponant, procul abeſt, nedum ut neceſſitatem inducant: ſunt prorſus ex illorum claſſe quæ liberrime fiunt. Quibus autem ea magnitudo eſt, ut talia ambiti concedere poſſint, ſciunt tum maxime ſe alterum ſuperare, & imperium quovis imperio majus exercere, cum, quos amicitia ſua, quos affinitate judicarunt non indignos, attollunt honoribus quam poteſt maximis, & tamen nihil de faſtigio ſuo libaturis. Sed & olim adverſarius idem Maximiliano I. idem Carolo V. Auguſtis obſervatum fuiſſe narrat. Pace reverendi Patris, quando? qua occaſione, quo modo? quo loco? inter quos? quid impellebat? Ne quidem ex commentario hic ſapit: nam quod ad archiva, quod ad grammatophylacea provocat, nihil æque expeditum.

In-

Inceptis gravibus plerumque & magna profeßis
Purpureus, late qui ſplendeat, unus & alter
Aſſuitur pannus.

Caroli V. Imperatoris jam ante meminimus: oſtendimus Illuſtriſſimi titulum Sabaudo Duci conceſſiſſe, cæterum non ſic tamen ut uni Sabaudo conceſſerit, aut præ cæteris. Excutiat, niſi grave eſt, inveſtituras Sabaudicas, nihil in eis inveniet, quod jactet. Avo hujus qui nunc feliciter Ducatum tenet titulum Illuſtris poſitivo gradu ſufficere, judicavit Imperator; nec ille datum, ut ſe minorem, recuſavit: Patri Illuſtriſſimi conceſſus eſt: uterque beneficium Cæſaris fuit. Ut adverſarium levem quærendi onere, ſciat inveſtituram, quæ Maximiliano Cæſari debetur incidiſſe in annum XVIII. à CIↃ IↃ. Quæ hanc exceperint, hac reperta, ultro ſe ingerent. Equidem neſcio an in mentes tantorum Imperatorum cœlo receptas hic noſter ſatis æquus ſit, qui talia ſubito ut largiatur, quæ in obnoxiam Vaſalli conditionem non cadunt, Optimos Maximos Imperatores ſuæ Majeſtatis vult aut ſupine immemores aut negligentes. Sed manum de tabula. Interim ut luculentæ illi & jactabundæ perorationi aliquid opponam, nego ſexcentis ab hinc annis Papas, Imperatores, Reges, Principes, Dynaſtas orbis Chriſtiani regalibus honoribus Sabaudiæ nunc Duces, olim Comites, proſequi ſueviſſe:

nego

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

nego quos obtendit honores à conſuetis deferri, cuicunque Principum fuiſſe diverſos, id eſt, nego, ipſum Sabaudiæ Ducem (quæ adverſarii mens & ſententia) quibuſcunque demum Principibus apud Papas, Imperatores, Reges, Principes, Dynaſtas orbis Chriſtiani honoratiorem cæteris habitum fuiſſe. Sed ut & hoc in tranſcurſu attingam, quid eſt quod quoſcunque Italiæ Principes adducit in hanc ſcenam? Italiæ Principibus annumerantur Veneti. Ergone & his quoque fuit veneratior aut antelatus? ſiquidem hoc ita ſe habet, næ diſſolutus & negligens eſt adverſarius, cui non aliud in votis quam ut Sabaudum habeamus pari gradu cum Venetorum Republica. Fruſtra cui primæ debentur ſe æquat. Si vero ex adverſo Venetis, ut ſe majoribus, digniori-bus ac primi gradus Principibus & ceſſit ſemper & cedere tenetur (ut certe tenetur, & de gradu ſe cedere profeſſi ſunt, quotquot ante ipſum vixere Sabaudiæ Duces) nimium ſane peccat tam indiſcreta verborum generalitate. Citet, quos velit, quod illis relinquimus: Venetos exceptos oportuit. Pergo jam ac diſertim etiam nego Sabaudos Duces Serenitatis ac Celſitudinis titulos poſſediſſe tota Italia conſentiente, jam illis temporibus, quibus illi tituli non eſſent niſi Regum. Dico ad hæc inſignitam eſſe novitatem, quæ neque unquam habueris, poſſederis, neque habeas, poſ-

ſideas

ſideas etiamnum, ſibi arrogata velle. Si moribus antiquis eſſe & vetera tueri Sabaudo Duci propoſitum eſt, Comitem ſe ferat. Nullus ex ipſius majoribus in hunc diem aſpiravit ad regale culmen, nec ut aſpiraret jus habuit. Fruſtra declinandæ, quam conflavit, invidiæ gratia dicit adverſarius, Ducem ſuum, modo condigna ejus ratio habeatur (habendam autem, ſi Principibus ſe inferioribus anteponatur) paratum pro veteri majorum ſuorum modeſtia agnoſcere ac devenerari ſummos Reges. Fruſtra inquam, immo contra naturam Majeſtatis, cujus intuitu ſtatim puſillum eſt, quod maximo minus eſt, &

Si paulum à ſummo deceſſit, vergit ad imum.

Sic alias everſuri libertatem ſpecioſum libertatis nomen obtendunt, ut illam eradicent. Quid ſibi faciendum putet Sabaudiæ Dux, quid non putet, ipſe videat, non me interpono. Nihil hæc ad Rempub. Venetam, cui ſemper bonæ mentis fundamentum fuit, non gaudere vanis. Huic, quod aliena ſepoſuerit, etiam oblata recuſarit, magnitudinem dedit; quod non niſi honeſta concupierit, divitias; quod nihil timuerit, pacem. Deum immortalem veneror, ac cum Rege vate totus voveo:

O flos nobilis urbium
Semper te bona pax amet,
Et te ſemper amantibus
Cedant omnia recte.

CAP.

CAP. XIX.

Franciſci Sanſovini autoritas refutata. Cognatio regia non confert Regios titulos. E Saxonica gente Principes deſcendunt plurimi, qui nec vindicare nec habere poſſunt Sereniſſimi titulum. Dux Sabaudus non eſt è gente Saxonum. Prærogativa Archiducum Auſtriæ. Maximiliani Imperatoris dictum.

ADverſarius abſoluta prima demonſtrationis ſuæ parte, quam ex titulis à diverſis promiſcue Sabaudo conceſſis conſtruxit atque exædificavit, ad lemma ſecundum progreditur: cujus hæc eſt ſententia, Ob originem regiam affinitateſque regias jam ultra ſextum ſæculum exporrectas, nec unquam interciſas, Regales titulos ſuis Principibus convenire. In quo confirmando idoneam reperit non incelebris inter Italos Politici (quod lubens concedo) Franciſci Sanſovini aſſertionem: Sereniſſimi titulum ſolvi aliis Regibus quique Regibus æquiparantur, ut debitum. Sabaudis vero Ducibus etiam attribui, quia in illis ſanguis, affinitates, poſſeſſiones, omnia denique regia concurrant. Quæ adeo ipſi ad guſtum fuit, ut in ejus gratiam temeritatem temeritate cumulaverit, atque auſus ſit ſcribere, Omnes Germanos, Italos, Gallos ſcriptores in hoc conſentire, Sabaudicæ gentis primordia ad Saxones eſſe referenda: & quamquam non omnibus de ipſa Genealogiæ ratione, ordine ac filo conveniat, conſpirare tamen

tamen eos unanimiter in uno, à Saxonibus deducendos eſſe. Sed ſi vel ceſſent ipſos Saxones Principes Sabaudi pro ſuis habere, teſtari id annales Saxonum, orbis univerſi conſcientiam in partes venire, & ſummo veritatis argumento omnibus ita videri. Cæterum brevi accuratiſſimam ſtemmatum deſcriptionem depicturum Hiſtoriographum Ducis Sabaudiæ R. P. Monodum: quem dixi undiquaque affirmatum mihi, hujus ſcripti autorem eſſe. Quod quia diſſimulat, non eſt ut inquiram. Inde tanquam in aperta planicie aciem locaturus ordines laxat, & qui denſis ac contortis rationibus diſputare debuerat, verbis modo rem gerit ratione deſtitutis. Qua in re cum ipſo certare nobis non propoſitum, nec prudentis eſſet. Exſultet in hoc campo, & quandoquidem ipſi placuit τὰ κύκλῳ λέγειν, ut dicunt Græci, oberret orbem ſuum, &

Vel ſine rivali ſeque & ſua ſolus amaſſit.

Prælustri ſtemmate eoque vetuſto Sabaudos eſſe, vetus eſt: non uno ſæculo regiis affinitatibus iiſque creberrimis innexos, tam verum quam ſolem lucere: eos vel maximis orbis Chriſtiani Dynaſtis multum lucis intuliſſe, invidia fateatur: magnos ob hoc habitos, commendatos, expetitos, omnes norunt: propagaſſe felicem ſui memoriam, pulſare fama celeberrimi nominis utrumque mundi cardinem notant annales, Sabaudicarum laudum

dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

dum præcones mimine parci : denique eos ſupra meas laudes eſſe ea, qua par eſt, animi modeſtia profiteor & agnoſco. Sed quid hoc ad inſtitutum noſtrum? Herculis olim encomiaſtæ objectum, Et quis illum vituperavit? Valeant ergo iſta: at non laudare ſed vituperare credatur, qui mentitur laudando, aut laudibus ſuperbiam atque injuſtitiam ſtimulat. Jam quod Fr. Sanſovinus ait, ideo Sabaudo Duci datum Sereniſſimi nomen, quia ſanguine, affinitatibus, ac ditionibus ſit regiis, non plus habet ponderis quam ſi ipſe autor id protuliſſet. Nam ſi hoc valet in Sabaudo, cur non etiam proſit aliis, & ſic Sereniſſimi vocentur omnes illi, quibus hoc naſcendi ſors & fati benignitas largita eſt, ut regio ſanguine oriundi, regiis domibus per matrimonia adjuncti, grande & regale territorium poſſideant? Qui craſſiſſimus error ne meretur quidem diſcuti, quod in parte tamen mox faciemus, dum tractamus recoctam illam crambem de regio Sabaudorum ſanguine è ſtirpe Saxonica, & regalibus inde prærogativis demanantibus. Nam cum ſupra timide & quaſi aliud agendo hujus meminiſſet, huc in magis bellam veluti occaſionem reſervavit adverſarius: ubi hoc ceu argumentum decretorium urget, & rem dubioſiſſimam omnium propemodum hiſtoriarum & hominum teſtimoniis firmam pertendit. Atqui expectentur hic exem-

exempla ex veteri memoria, ex priſcis monumentis & literis, plena dignitatis, plena antiquitatis, atque ob id ipſum non minus jucunditatis habitura ad audiendum, quam autoritatis adprobandum. Quorum nihil videas, ſed præter orationis tumorem & ſtrepitum, quæ ad rem faciant, puſilla quædam ac ſupervacua, quibus nec ſingulis occurrere ſit neceſſe, nec omnia perſequi. De Saxonum gente jam ante loquutus ſum: talia de ea ac tanta prædicavi, quanta ſcienti eſſe vera, permiſit ingenii tenuitas ac ſtyli, quanta ratio hujus operis. Nunc ut quid ei deteram ſenſuum inopia, ut quid illius magnitudini per livorem detractum velim, procul eſt. Eadem opera cœlo quis indicat bellum, & Gigantæo prorſus inſtituto ſummo Jovi fulmen è manibus extorqueat. Sed nemo committit noxam, qui non omnes Widikindæa Saxonum ſtirpe proſatos illico titulis regalibus compellabit, nec omnes eos regia jura, regales prærogativas poſſidere dicat. Inquirentibus in totam hiſtoriam, ac cum primis Saxonici generis ſeriem atque propagines multa prælustria & generoſa occurrent nomina, quæ nemo dixerit, eo quod eſſent è gente Saxonum, titulo Sereniſſimi compellari debere. Habuerit gens illa in primævo ſtatu Reges ſuos. Eſto: Habuerit Imperatores, Electores Imperii, Duces, Marchiones: non tamen intra illos

ſtetit. Dederit & poſt Henricum Aucupem ſive Humilem, Patrem patriæ, & rerum Dominum, ac Imperatorem à ſuis vocatum, tres Othones, primum Magnum, alterum Mirabilia mundi nominatum: dederit Henricum cui à caſtigatiſſima vitæ integritate Sancti cognomentum: dederit etiam Imperatores Orientis, dederit Reges Gallos, Siculos, Neapolitanos, Hieroſolymitanos, Hungaros, Navarræos, Danos: ſed etiam Duces, Marchiones, Landgravios. Eruntne igitur omnes hi indifferenter dicendi Sereniſſimi? Ergone quoque Comites Ringelheymii, Northeymii, Beichlingii, Wittini, Ilenburgii, Breenenſes, Kylnburgii, Modianæ, à Balneis, Altorphenſes, Altenburgenſes, Stormariæ, Wairiæ & Luneburgæ (hi enim omnes ad Saxones ſuam gentem referre ſe credi volunt) Sereniſſimi habebuntur, æquandi Sabaudis Ducibus, id eſt, ut noſter vult, Regales prærogativas ob hoc ſibi afferent? Id ſi dicendum eſt, non plures Autumnus febres aut fungos pluvia nox produxerit. Olim ajebat ille; Sint quibus imperes. Sint ſane, à quibus Dux Sabaudus Sereniſſimus appelletur, nec evileſcat tantum nomen, tam anxie ab ipſo expetitum, tam ægre impetratum, tam recenter partum. Quanto pauciores eo fruuntur, tanto pulchrius eniteſcit; quanto ſollicitius, tanto minus vulgatum oportet eſſe: decedit ei quic-
quid

quid pluribus accedit, & ne multa, quotieſcunque plures admittit, ſe demittit. Sed nimium jamdudum ſumus lenes, & cum fronte noſtra luctamur. Etiam falſa & inania quę non coarguuntur, fidei ſpeciem habent. Invenit Patronum ac patrocinium qualecunque vaniloquium, modo principium habeat non omnino inexorabile: ſed fruſtra illius finem deſideret, qui principium admiſit. Quare nobis quoque fortius graſſandum, & negandum, ut diſertim nego, vera eſſe quæ de Sabaudis ad Saxones deducendis tam fidenter ebuccinat. Omiſiſſe mallem quicquid hoc eſt, ſed per adverſarium non datur. Omittam qua potero. Atque ut ex ungue (quod ajunt) leonem, tres duntaxat Sabaudos ſcriptores inter ſe componamus, hunc noſtrum, Philibertum Pignorium, & Ludovicum de la Chieſa. Hos ſiquis in unam conſonantiam junget, ſic nempe ut una atque eadem facies veritatis appareat, idem convenire faciet inter Horologia, & me valde erraſſe confitebor. Quod Tullius in difficili quæſtione dicebat: Cum tam variæ opiniones ſint, tamque inter ſe diſſidentes, alterum fieri profecto poſſe, ut earum nulla; alterum certe non poſſe, ut plus una vera ſit: id jure hic majore cum incertitudine uſurpare poſſumus. Chieſa multum circa opinionum in contraria euntium conciliationes, circa diluendas objectio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

nes ſe torquet, & tandem, quę viri eſt ingenuitas, eum ad modum ſe comparat, ut jam ante dixi. Eidem hoc cum adverſario noſtro commune eſt, ut à Beroldo Saxone, utique illius patre, initium ſumat: Pignorius contra ante Beroldum totos XII. gradus enumerat atque conſtituit, Beroldo ſcilicet ultimum ex illis XII. gradum inter cæteros occupante. Quod ad Hugonem Beroldi patrem, autori noſtro mens eſt, ut profitetur ipſe, à cæteris diverſa, quam ſic eminus oſtendit ut Eleuſis ſacra ſua. Ipſis ergo Sabaudis ita cædentibus vineta ſua & inter ſe digladiantibus, vix eſt ut exterorum concordiam aut aſſenſum quis ſibi audeat polliceri: Sabaudis, inquam, pro ſuorum Ducum magnitudine ac dignitate ſic omnem lapidem moventibus, ut lippum atque inunctis oculis eſſe oporteat, qui non perſpiciat eos ab affectibus ſuis non duci ſed rapi, & in præceps impelli. Eſſet fortaſſis hoc loco hominis non moroſi aut invenuſti aliquantulum connivere: ſed potuiſſet etiam noſter citra peccatum aliis immorari, quæque poſt longam velitationem fidem repertura non eſſent, in medio relinquere. At vero ut ea ipſa pro certa, ſolida atque inconcuſſa veritate habeantur, velle, idque in præjudicium ſummarum poteſtatum, ut quæ ex ſe ſuatimque nullus habere poteſt, iſtiuſmodi næniarum beneficio ſibi vindicet, profecto nimium eſt atque omnino tale,

le, quod neque impetrari neque admitti queat etiam ab indulgentiſſimis. Satis tenebrarum & obſcuritatis temporis longinquitas veris offundit; nedum ut quærendi nobis ſint errores, in quos ultro nos induamus. Sed hæc monuiſſe ſuffecerit. Tamenetſi conceſſa Hypotheſi illa, ad Saxones referre principia ſua Sabaudos, decedent utique Saxonibus ipſis, ſe vetuſtioribus & directiorem agentibus lineam. Nec eſt ut Imperatores auguſto ſplendore ſtemma ſuum illuſtrantes, jactent. Idem poſſunt Saxones, idem Bavari, idem Heroes Naſſavii: at quanto magis (inſtituta ad unum Sabaudiæ Ducem comparatione) Archiduces Auſtrii? Eſt quippe ſi Wehnero practic. obſervat. in verbis: Stand des Reichs/ fidem habemus, hoc illis conceſſum, ut Coronam, ut diadema regium Auſtriaco galero propalam circumdent. Longe tamen illis regium nomen, quod cum nunquam vindicare ſint aggreſſi, aliud dici non poteſt quam quod Sabaudos Duces præpoſteræ ambitionis hoc ſuo exemplo apud omnes condemnarint. Revera autem ad titulos Regales obtinendos neminem juvare poteſt Principem, quod inter imagines ſuas Imperatores habeat. Non eſt Imperatori regnandi jus niſi ab electione, neque illius perſonam Majeſtas egreditur. Electio (præter quod pie ad Deum referenda eſt) tota eſt ab accidenti, nulli mancipio data,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

nulli mancipanda, dum omnibus imperaturus (quæ olim Plinii ſententia ad Trajanum Cæſarem) ex omnibus eligi debet. Ergo Imperator quæ per Electionem conſecutus eſt, habet, decedens eorum nihil ad hæredes tranſmittit. Jam vero neque Imperii Vicarius citra injuriam conditionis ſuæ hoc prætextu ulterius quid depoſcat, quam aut perpetuo Imperii beneficio conſecutus ſit, aut ab Imperatorum munificentia citra injuriam Imperii habere poſſit. Notabile dictum Maximiliani Cæſaris, qui cum Pontifex Pius IV. Coſmum Medicæum Regem Florentiæ creare vellet, cæteris Italiæ Principibus quam enixiſſime contranitentibus, & ægerrime hoc propoſitum ferentibus, Legato Regis Galliarum ſuper hoc ipſo negotio directe atque in os regeſſit, Italiam Regem habere non poſſe, niſi unum Cæſarem. Exemplo non diſſimili videmus Summorum Pontificum nepotes, conſanguineos, amicos ab eorum exceſſu è vivis nihil præter privatam ſortem ac conditionem ſpirare, idque non alia de cauſa, quam quod eligendi libertas nulli uni genti adſtricta ſit. Denuo etiam hic repetit cantilenam illam de Antiquitate. Atqui hæc ſiquid regii juris momento ſui conferre poſſet, multo juſtius id ſibi vindicaturi eſſent Ateſtini Principes, qui jamdudum ſupra cIↄ & quod excedit annos florent, alioſque aſſiduo ex aliis

Prin-

Principes continua ſerie propagant: poſſent alii Principes, hac in parte Sabaudo Duci nec ſecundi nec ceſſuri: ſed eorum partes tueri non eſt mei inſtituti. Idem omnino dicendum eſt ad hoc, quod de Regiarum affinitatum per annos jam ſexcentos continuatione crepat. Si enim talis ſplendor conferre aliquid ad Regales dignitates obtinendas potuit, cur non illi ipſi, quibus proprie hæc affinitas contigit, & à quibus hanc gloriam in ſe derivat Sabaudus, ſe Reges aut Regibus æquales tulere? cur non Regales prærogativas petivêre? Illi vero nunquam alios quam Comites olim & poſt (paulo plus quam duo ſæcula ſunt) Duces & ſe cenſuerunt, & ab aliis ſunt cenſiti. Quare ſiquam quaſi poſſeſſionem continuare Sabaudus Dux deſiderat, aut Comitis neceſſe eſt continuet aut Ducis: Regias autem prærogativas, quas nunc demum petit aut prætendit, nimis καταχρηστικῶς dicetur continuare, cum nunquam inceperint: quidquid tot verborum phaleras, tot ſumma nomina læſuras comparationes ſtipet, tam curatam Sabaudiæ qua Comitum, qua Ducum ſeriem toto hoc capite pertexat. Audiat illud Prudentii:

Quicquid novellum ſurgit, olim non fuit.

CAP. XX.

Vanitas adverſarii partim indignis, partim inæqualibus exemplis ambitionem Ducis Sabaudi ſtimulantis. Arragonum, Navarrorum, Luſitanorum jus Reges ſibi præficiendi. Coſmi Medicæi modeſtia, dum ad Ducatum ſuum in Regnum convertendum incitatur magis quam id deſiderat. Reipublicæ Venetæ Corona Regia. Regnum Cretæ.

QUod ſupra adverſarius ex Fr. Sanſovini ſententia injecerat, Sabaudiæ Ducem poſſidere Ditiones dignas, quæ Regna appellentur, id nunc ſibi ipſe aſſumit, & ad propoſitum ſuum ſubminiſtrato telo tanquam prudens Athleta utitur. Quoniam nimirum tot rebus rationibuſque Sabaudiæ Dux urgeatur, ut ſe Regibus æqualem, & Regnum inſidere agnoſcat, juſte id facere Sabaudiæ Ducem, qui faciat neceſſario. Et certe tanti eſſe hunc ſplendorem, ut etiam generoſus animus ad eum recipiendum cogi non indignetur. Sic nimirum Cordubenſem Iuvenem cum ſe à ſuis deſertum videret, in has voces prorupiſſe: Hodie Regem facite, cras perimite. Jam olim ſic poſt Gothorum tempora Navarros, Luſitanos, Arragones, cæteroſque Comitum imperiis multum diuque aſſuetos de ſe conſtituiſſe. Nimirum cum memoria tenerent Hiſpanias aliquando ſuos Reges habuiſſe ac tuliſſe Regni nomen, judicaſſe illos, peccaturos ſe in

Co-

Comites ſuos, ni deferrent ipſis titulos Regales, peccaturos item in virtutes ac merita ſuæ gentis, ſi alios ſupra ſe quam Reges regnare paterentur. Idem annis ab hinc ſexcentis factitatum à Siculis, Polonis, Danis. At recentiore exemplo Coſmum Medicæum, revocata Porſenæ Tuſcorum regum Memoria, Regium nomen à Pontifice conatum impetrare. Venetorum quoque Sereniſſimam Rempublicam cornu ſive conum Ducalis mitræ commutaſſe cum Regia Corona, utut novitatis inimicam: feciſſe autem id ipſum ratione atque intuitu Regni Cretici, cujus tamen Inſulæ viginti jam nunc ſæcula ſunt quod nemo meminerit ut Regni. Hæc ille. Sed vero quis coget Sabaudiæ Ducem ut Rex fiat, niſi ambitio, & peſſimum ſimulatorum genus laudantes? ſic nempe Tiberius ſe volebat ab Senatu Romano cogi, ut ſervire ſibi pateretur. Cordubenſem vero Iuvenē illum quod adducit, mirari ſubit, quid homini tanto modeſtiæ Sabaudicæ præconi aut mentem aut frontem tam ſubito excuſſerit. Si enim hęc ejus ſententia eſt, ut videtur eſſe, tanti eſſe regnum, ut dum unius diei mora quis eo potiatur, perire velit, & velut ſolſtitialis herba oſtentari rapique ſimul non indignum putet, quid laudabile in hoc apophthegmate eſt, quid repetendum? Damnata ſemper & inter portenta numerata eſt Agrippinæ vox: Occidat dummo-

do imperet. Diris devota ſententia Polynicis apud Senecam, qua ſe pro regno, patriam, penates, conjugem flammis dare velle monſtrum hominis edicit, adjecto: quolibet pretio regna bene conſtare. Capitalem Eteoclem vel potius Euripidem dicit Vir ſummus, quod ille in verſibus:

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

id unum ſolum quod omnium ſceleratiſſimum fuerat, exceperit: Ejus tamen ſingulos verſus ſingulas ſententias aliâs pronuntiare ſolet. Neque niſi bellis civilibus, quæ ſine ſcelere neque parari neque haberi poſſunt, auditæ voces:

Pectore ſi fratris gladium, juguloque parentis
Condere me jubeas, plenaque in viſcera partu
Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra.

Quid vero hic noſter agit aliud, quam ut præclaras iſtas ſententias velut ab Orco eat revocatum? Quod tamen parum foret, niſi laudaret, niſi & exempli vice proponeret ſimilem? Atque ille ſi inter liberos hoc petivit, quo cives ſuos ſubjugaret, fuit vere patriæ ſuæ parricida, & talis quem ex effato rectius oraculo Martiani J.C[ti] ſi filius patrem aut pater filium occidiſſet, ſine ſcelere, etiam præmio afficiendum omnes cenſuerunt. Nimis hic excidit adverſarius: quem hactenus cum Regibus & juſte in ſublimi iſto ſolio collocatis comparavit,

vit, ejus nunc audet contentionem facere cum homine improbo, hujus libidinem nullo ſuffultam jure invitandam illi monſtrare. Hæc eſt juſtitia quam dictat & monet noſter Theſeus: hæc exempla quæ tradit imitationi Principum, in quo etiam adeo fuit infelix ut, quod unum ibi poteſt excuſari, quod unum boni ſpeciem habet, ejus ſequendi poteſtatem Duci ſuo præciderit. Ille enim Cordubenſis, licet tantopere furiis ambitionis exagitatus, ut putaret unius diei regnum pernicie propinqua bene emi, noluit tamen per ſceleſtas artes molitioneſque animo ſuo morem gerere & deſtinatum per ſe exequi: ſed his illud patefecit, atque ab his ad effectum perduci cupivit, qui ſuo juri & libertati poſſent renunciare, & Dominum recipiendi copiam haberent. Contra Sabaudum Ducem vult noſter, cum eum neque Regum ullus, neque populi conſenſus, neque aliquod cognatum aut quæſitum jus Regem fecerint, privatim ſuo facto atque voluntate hoc decus adoptare. Sed ut exemplum retundamus exemplo ſimillimo & litem lite nullatenus reſoluturo, videamus Carolottam, ad quam Regnum, cujus titulos & inſignia obtendit, Sabaudię Dux refert tanquam autorem. Acceſſit ea Sultanum, regni Cyprici directum Dominum; Cordubenſis Cives ſuos quantum per ipſum licebat libertatis ſuæ & retinendæ & abdicandæ Dominos.

Utra-

Utraque pars dixit: Facite me Regem: utraque repulſam paſſa eſt. Nunquam enim rerum potita fuit Carolotta: quid de Cordubenſi dicendum ſit, haud habeo affirmare, quandoquidem quo ſeculo hoc contigerit, quo autore tradatur, nos velit neſcire; veriſimile eſt auſis excidiſſe. Neuter ergo habet quod glorietur: nec Carolotta poſt decretoriam ſententiam directi Domini aliquid juris valide conferre aut tranſmittere potuit, ſi quod tamen de facto habuit; quia nunquam illud directus Dominus, etiam utili dominio jam nunc interverſo, firmarit ſuo aſſenſu, ac neque populus Cyprius Sabaudum regem Cypri ſalutarit. Sed & alia ſententia poteſt eſſe dicti iſtius, quod nempe ſub iſtis minis non recuſaret ille Rex fieri, cum ſi ſemel in Regem creatus eſſet, facile proviſurum ſe ſperaret ipſa ſanctimonia regii nominis, ne poſtero die perimeretur: Facile enim exercitum invenit miſer Imperator, & ut Cicero ait pro l. Manilia, *hoc fere ſic fieri ſolere accepimus, ut Regum afflictæ fortunæ facile multorum opes alliciant ad miſericordiam, maximeque eorum qui aut Reges ſunt, aut vivunt in regno, quod regale nomen iis ſanctum & magnum eſſe videatur.* Quod ſi ea meus eſt, videat adverſarius quo judicio ad hanc rem dictum iſtud applicaverit: nos ad alia properamus. Quod de Arragonibus, Navarris, cæteriſque factum oſtenditur, non minus alie-

alienum eſt. Ut illi ſic jam olim populus Romanus iſtis temporibus Principi & in Principem omne imperium, omnem poteſtatem etiam in ſe ipſum (quæ quorundam explicatio eſt) conceſſit. Sed ſtetere hæc arctata intra ſuas metas, neque è relatis alterutrum præfinitis ſpatiis exceſſit. Si, quos citat Arragonenſes cæterique, nullius imperio paruerunt, fuit in ipſorum manu diſpicere, quem quali imperio ſibi præfectum vellent: quod ſi obnoxiæ eſſent conditionis, non potuiſſent. De Pedemontiis, Sabaudis, aliis, qui Sabaudiæ Ducem ſupra ſe agnoſcunt, idem jus valet. Potuerint illi, modo fuerint ſui juris (quod credo Sabaudus Dux velit & magno mercetur, Imperator & Galliarum Rex negent pernegentque, ſuos Præfectos, Comites, Dynaſtas, altius evehere & vel Regali faſtigio admovere, ſed tantum ſupra ſe. Quod ergo hoc nomine Sabaudiæ Dux Regales titulos ſibi deberi contendit, quia regales ditiones poſſideat, nihil agit. Ipſæ illæ etenim ditiones ſi intra unam Sabaudiam & ei adiacentem tractum, qui nunc Sabaudico Ducatui contribuitur, coërceantur, neque fuerunt unquam neque ſunt Regalis tituli capaces. Si vero etiam ditiones illæ ad occupatam Turcis Cyprum ſeſe extendunt, & ad illius (titularem ſaltem) quaſi poſſeſſionem, atque inde regales cenſeri debent, perinde eſt, ac ſiquid juris ſit Navarro in Arragones,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

eo quod Navarri Comitem ſuum creaſſent Regem, aut Luſitanis & Polonis in Danos, quod & ipſi ſuum & Poloniæ aut Luſitaniæ Regem ſalutaſſent. Quamquam non erat ut tantopere in his ſeſe adverſarius torqueret. Omne illud quantum quantum eſt quod Domino ſuo aſſertũ it, modo quæ aſſeveraret firme inniterentur veritatis fundamento, evinci poteſt ſolo regni Cyprii argumento. Sed hic ei quam miſerrime aqua hæret, atque igitur quicquid occurrit, arripere cogitur & pro telo uti, ſed ut huc uſque (ut ſpero) vidimus & porro videbimus, nullo ſucceſſu. Dicendum plane ſi quæ adduxit, quomodocunque ſumantur, ſeorſim ac per ſe vel cum aliis juncta valida ſint, ac proinde lis ſecundum Sabaudiæ Ducem ſit terminanda, non aliter quam per aliquam declarationem fieri poſſe: qua ſcilicet decernatur, jure factum, ut eundem in modum ex Comite aut Duce in Regem Dux Sabaudiæ evaſerit, quo & illi, quos enumerat Comites, ita ſciſcente, volente, ac jubente populo, pro Regibus haberi cœperunt. Hac vero diſſertatione noſtra ne quidem in illis terminis verſamur. Namque ſi hoc tempore Regalia jura Sabaudo debentur, unde ea depoſcere aut exigere potuit? ecquid à ſemet ipſo? novum hoc ſit, inauditum, & contra naturam. An vero à Sabaudico Senatu? nec hoc quidem. Unde Senatui

tan-

tantum juris? Oporteret enim ipſum prius Ducem Senatui ſe ſubjicere eique deferre eam in ſe poteſtatem, ut ſuum ſtatum conditionemque commutet. Neque heſternum eſt neque hodiernum, quod tam immenſa cupido Regalium titulorum Sabaudiæ Ducem tranſverſum agat. Eſſe hoc veriſſimum norunt omnes orbis Chriſtiani Dynaſtæ, norunt eorum legati. Sed à generalibus ad ſpecialia quoque exempla deſcendere adverſario placet. Coſmum Medicæum, ait, hoc dum viveret egiſſe, ut revocata Porſenæ atque aliorum Hetruriæ Regum memoria ſimile quid à Pontifice nanciſceretur. Qua de re quid ſentiendum ſit, ſuum cuique eſto judicium: ex Hiſtoriarum monumentis magis obſervaſſe mihi videor prolixam Pontificis (Pius is V. fuit) voluntatem, quam Medicæum ſibi tam alta ex certa deſtinatione comparare adnitentem. Eum tamen (aſpiraveritne eo nec ne, in medio relinquam) ſuus ſucceſſus deſtituit, neque in hunc diem Florentiæ Magnus Dux Regales titulos aut ambit aut expoſcit. Ille certe (modo quod appetiiſſe dicitur, re vera appetierit) in omnem eventum longe verecundior fuit Sabaudo Duce, qui alieno beneficio locum fecit, & Summo Pontifici debere voluit, quæ nullius expectato beneficio ſibi Sabaudiæ Dux uſurpat. Nec tamen aut his aut illis temporibus apud Chriſtianos Princi-

pes

pes talis eſt eratve Medicææ gentis autoritas, ut Sabaudicæ vel tantillum deceſſura ſit aut fuerit. Non inſtituam invidioſam comparationem. Interim non video cui fini hoc exemplum quoque allegaverit: niſi forte ut tanto plura in farraginem iſtam conderentur, quæ reprehenſioni opportuna eſſent. Si in Coſmi Medicæi hoc facto, ſive verum ſit ſive tantum narretur, aliquid voluit proponere imitandum, cur non potius abſtinentem eum à Regalibus, ſaltim ſi cupivit, non ultro poſcentem, prædicat? hac parte imitari eum Sabaudo Duci non modo fas ſit, ſed & eximium. Nulla porro conſuetudo Regium nomen introduxit in Italiam, nec adeo hactenus potuit. Quid ergo ille inde exemplum petit? quid anteceſſores & optiones Sabaudicarum cupiditatum? quid τοῖς ἀνέμοις, ut in diverbio eſt, ἀντιπνεῖ, & contra torrentem brachia intendit? Medicæum minus glorioſum putat, quod Regales honores non impetrarit? immo glorioſius illis, quod nunquam inhoneſte aut cupide ambiverunt, oblatos etiam non extenſis brachiis acceperunt. Illos pigeat intemperantiæ ſuæ, qui quod ad ſe non pertinet, non modo per cuniculos & tecte, ſed aperta confeſſione ſuperbiæ trahere ad ſe conantur, & trahendo omnibus rerum gnaris ludibrium debent. Reprimo me, nec fortaſſis defuturi ſunt ab Hetruria Scriptores, qui hoc in Ducem ſuum

ſuum contorta ſint diluturi. Progreditur hic etiam ad Sereniſſimam Rempublicam Venetam, & ejus authoritate Duci ambitionem ſuam commendat. Hanc ait ut novitatibus adverſam cornu ſive conum Ducalis mitræ cum Regali corona commutaſſe, non alia de cauſa quam quod ſe Reginam Cretici Regni ferat, quod tamen jam ante viginti ſæcula Regni nomine deſierit venire. Verum & hic peccat ſi uſquam. Neque Sabaudus Dux & Sereniſſ. Venetorum Reſpublica quoad ſummæ poteſtatis jura una die nominandi ſunt: neque ulla Venetam Rempublicam cum illo Duce facti ſimilitudo conſociat. Et quamquam commiſſurus non ſim, ut per imprudentiam meam aut temeritatem tantæ Reipublicæ Majeſtati quippiam decedat, illius cum Sabaudo Duce comparatione inſtituta; omnes tamen etiam me tacente videant, fruſtra hæc novitatis argui, ac perperam omnino invitari Ducem ad illam, qualiſcumque demum deſcribitur imitandam. Factum ipſum quod concernit, nihil Veneti fecere, quod ſuo jure non potuerint. Male inſuper dicitur noviter factum: quod ex eorum genere, quæ liberrime fieri amant ab illis, qui ſummæ poteſtatis jura non niſi divino beneficio tuentur, atque aliis quibus non idem Majeſtatis jus, libera non ſunt. Sequelam facti ſi contuemur, neque Pontificum, neque Imperato-

rum neque Regum, neque Principum quiſquam contradixit, fieri doluit, aut quia ſuæ Majeſtati derogari hoc pacto crederet, publice privatimve interceſſit. Viderit nunc ipſemet adverſarius, ſatiſne ex æquo & bono ſit, poſt tot ſummas poteſtates ſolum atque unum ſe reperiri, qui nomine Sabaudi Ducis, quem precaria modo atque alieno beneficio delata Majeſtatis exercitia ſublimem reddunt, ſe illis ingerat atque opponat, qui tantæ Reipublicæ gravitatem, qua præ cæteris bene audit, collutulet adſperſa labe novitatis. Cæterum neque hic digrediendi mens eſt. Sed ut fortius agam, duo dicam: primo, negare me cornu ſive conum Reipublicæ Venetæ aliud eſſe quam regale; ſecundo, negare me Rempublicam Venetam quicquam in inſignibus ſuis Regni Cretenſis ergo innovaſſe. Prius quod attinet, novit adverſarius, norunt omnes (neque aliorum teſtimonio opus eſt quam oculis ſuis res ipſas ſubjicientium) illam ipſam coronam quam vocat Ducalem, nihil minus quam Ducalem eſſe, ſed à cæteris omnium omnino Ducum coronis ſeparatiſſimam, utpote ſic faſtigiatam, ſic undique concluſam & obſeptam, ut proinde nec alia quam regalis dici mereatur aut poſſit. Quo minus autem ipſa, utcunque ex aſſe Regia ſit, talis dicatur, in cauſa eſt quod gratiſſimum libertatis nomen in republica ad libertatem nata ac facta

tam

tam carum ſit acceptumque, ut quod ad Regalem formam collineare & vel leviuſcule deflectere videatur, & ſic à libertate deviare, vel ob hoc non potuerit ipſi probari. Evicit hæc ante me & illuſtravit plurimis perfectiſſimo ſuo de origine Urbis Patavinæ tractatu eruditiſſimus Pignorius: cujus ut ſcripta compilare non eſt meum, ita non poſſum non meminiſſe propter exactiſſimas, quibus totus abundat, obſervationes, dignus cedro, dignus lectoribus, quibus fideliſſima monumenta ſuo pretio coluntur. At vero etiam poſterius illud quam ne ſimilitudinem quidem habet ullius veri? Si reſpectu Regni Cretenſis talis eſt facta mutatio, jam ante quadringentos & triginta annos factam oportuit. Cauſa non eſt cur quæſitiſſima nobiliſſimi Regni poſſeſſione auctior Reſpublica, ac proinde novella (ſi Diis placet) Regina, regni inſignia ſibi non aſſumeret una cum regno. Quacunque ſtupenda illa Reſpubl. pedem defixit, quacunque Majeſtatem ſuam circumtulit, quacunque & infidelibus juxta & perduellibus formidatum robur armorum explicuit, illico Regia cuncta eluxere: nihil ab illa qua bello qua pace cœptum eſt aut deſignatum, quod culmine regio inferius minuſve fuerit. Teſtis eſto Epiros, Theſſalia, Dalmatia, ac cujus non ſibi debitis inſignibus tituliſve pari temeritate quam iniquitate Sabaudiæ Dux abutitur,

Regnum Cypri. Teſtes ſunto tot urbes, ditiones, loca victricibus armis illius Reipublicæ vindicata atque aſſerta, quorum ſive numerum ſpectes, ſive longe lateque exporrectam magnitudinem, ſive cum cœli ſolique bonitate conjunctam fertilitatem, ſive annua redituum compendia, ſive ad bellum vires, & ad inſtrumenta bellica copiam oppido quam facilem ac paratam; ipſa veritas fateri coget, eſſe ea ſilentio ſacro & admiratione veneranda, quæque in iis admiramur, laudari ex condigno non poſſe: loquetur res ipſa, ſummis etiam Regibus paria facere, nedum ut illa vincant, quæ de ſua Sabaudia adverſarius crepat. Ea ſane inter ſe componere qui parabit, eadem ratione Herculis cothurnos aptet Pygmæo, & Glauci cum Diomede permutationem nulla ſui parte inæqualem nugetur. Quid vero ei mentis eſt, cum Rempublicam Venetam ambitionis taxat, perinde ac ſi nunc demum, aut non ita diu ſaltem Regni Cretici ab hinc jam tot per ſæcula, ut ait, deperditum nomen captaret aſſumeretque? non facit Reſpublica Veneta Cretam Regnum ex non Regno. Jam tum Regnum & vocabatur & erat, cum Balduini munus fieret, nec alio nomine quà Richardo Britanno, quà Gallis Luſignanis dicta cognitave fuit. Nulla Hiſtoriarum monumenta teſtantur, Creta in Provinciam redacta ſic illico immutatam ejus
ſor-

ſortem, ut nemo ejus tanquam Regni meminiſſe, ut nemo Regnum Creticum ſubeſſe Romanis dicere auſus fuerit. Neque hoc Romanis in more poſitum, de quibus ſi Claudianum audimus:

Hæc eſt in gremium victos quæ ſola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris non Dominæ ritu, civeſque vocavit
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.

De Urbe æterna loquitur. Quibus conſonant & illa:

Feciſti patriam diverſis gentibus unam:
Profuit invitis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii conſortia juris,
Vrbem feciſti qui prius orbis erat.

Plurima his ſimilia paſſim obvia apud autores ſunt. Sed neque Reipublicæ Romanæ ſtatus permittere potuit, ut quæcunque imperio ſuo adjiceret, ſtatim in eandem Reipublicæ formam compingerentur aut coaleſcerent. Nota Provinciarum jura, nota Provincialium conditio, quam quoniam in alio opere ſatis proſecutus ſum, nunc multis explicare non eſt opus. Neque populum late Regem dicere poterimus, ſi quot Regna in Provinciam redegit, Regno mulctavit. Fruſtra apud Suetonium, Invenalem, Marcellinum cæteroſque totiens occurrant nomina veterum Rectorum Provinciæ: fruſtra niſi Regia vice functi ſunt, tam frequenter occurrat verbum

Regendi. Cæterum quandoquidem hæc atque his affinia ſuo loco fuſius edifferenda erunt, quo nempe animus eſt adverſarium proprio teſtimonio jugulare, contentus hæc ſummis digitis attigiſſe, finem faciam, ubi hoc modo quæſivero, cur poſt in formam Provinciæ Metello Cos. redactam Cretam, nec alia forma Romano Imperio adjectam Cyprum, quod tam anxie à Sabaudo Duce amolitur novitatis crimen, Venetis impingat. Eadem ſane ratio eſt. Qui dixerat

Acquiſita meo ſervit tibi Creta Metello:

etiam dixit eodem poëmate Sidonius,

— tibi Cypria merces
Fertur, pugnaces ego pauper laudo Catones.

Verum ita eſt: quemadmodum mens vacua perturbationis recta trutina juſtum ſuſpendit, ſic eadem præjudiciis corrupta in quoſcunque concitatur, tota devergit in id quod grave eſt, dumque nihil non ſibi indulget, vel propriam perdit ſecuritatem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

CAP. XXI.

Sabaudus Dux non habet Status Regales. Faſtus & ἀνιστορησία adverſarii, Allobroges falſo laudantis, Livium adulationis arguentis, Brennum non Gallorum, ſed Allobrogum Ducem facientis. Vindicata non ſemel Polybii verba. Geſati, Galli antiquiſſimi non ſub abſolutis & proprie dictis Regibus. M. Iulius Cottius, Alpium Cottiarum Rex à Claudio primum dictus: quod regnum mox à Nerone in Provinciam redactum. Sabaudus Mercenarius ſub Venetorum ductu meruit. Sabaudia feudum Imperii.

VIdeamus vero an ipſæ illæ ditiones Sabaudicæ, quas quantumvis magnas Ducem commutare in Regem non poſſe hactenus oſtendimus, ſint tales tantæque, ut in his ſaltim adverſarius non tenuiſſe morem ſuum, hoc eſt ex muſca facere elephantum, & omnia extuliſſe in majus, cenſeri debeat. Quod tamen priuſquam excutimus, removendum hic pilum, quod injicit nobis de Statibus (ita appellat) Regalibus, quos poſſidere Sabaudum Ducem urget. Adeone putavit, ſe reperturum ſemper Lectores, qui neſcirent quicquid habet Sabaudus, Imperatorium donum eſſe? Imperatorem Comitatu, Marchionatu, Ducatu illum induiſſe? qui ut Regem faceret eum, atque ſuo juri eximeret, ne ſomniaſſe quidem uſpiam invenitur? Ejus certe eſt dignitatibus nomina, decus, amplitudi-

nemque ſuam impertiri, cujus ipſas dignitates pro arbitrio & vi Imperii conferre. Quare penes Sabaudum regales ſtatus eſſe non poſſunt, quos Imperator ei non tribuit; aut ſi ſunt penes eum, fatendum eſt, hos contra directum Dominum contraque ejus mentem à Vaſallo, idque non citra manifeſtarium crimen occupatos atque invaſos eſſe. Utrum libuerit, tollat ſibi adverſarius. nam ut verba παρατραγῳδα atque magnifica oggerat nobis, atque hæc circumeat oblique, neque ſatisfaciet nobis, neque opus eſt. Inveſtituræ exhibeantur; nihil citius, quam ut hæc lis dirimatur. Quas cum ab Imperatore obtineri non poſſit negare, etiam agnoſcat æquum eſt, eas peti haud ſolere aliter nec poſſe quam *humiliter*, *reverenter*, atque *obſequioſe*. text. in cap. 1. §. nulla. Per quos fiat inveſtitura. Item, Imperatore rebus exempto à ſucceſſoribus identidem illam renovationem petendam fuiſſe. At cui fini? nempe partim ut exſtet ſignum reverentiæ, partim ut ne longinquitate temporis aut ignorantia vaſalli Domino jus ſuum quod habet, intervertatur. Quo item effectu? ut ſcilicet hinc vaſallitium hoc vinculum intuitu Domini inveſtientis per iſtiuſmodi renovationem firmatius evadat; illinc Vaſallus poſſeſſionis & juris ſui, quod habet, pleniſſimam aſſecurationem accipiat. Hæc omnia quam non conſonent Statibus, quos dicit,

cit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

cit, Regalibus, quam non cadant in nulli obnoxiam poteſtatem, ſatis patet. Quia vero ſubinde adverſarius ad vicinorum exempla provocat, demiror cur vicinorum Inſubrium non recordetur. Mediolanum utique non Regnum eſt, ſed æque ac Sabaudia inter Ducatus locatur: Burgundia quæ Reges olim tulit, Regni nomine hoc tempore haud venit, ut neque Burgundiorum Reges horum ſæculorum annales nobis exhibent: intra Duces Comiteſque ſubſiſtunt, inſigni documento, ejuſmodi honorum ac dignitatum prærogativas gentibus haud perpetuo ita durare; ſed illas utpote augmenti & decrementi capaces tali æſtimio cenſendas eſſe, quale aut temporum conditio depoſcit aut fert beneplacitum illius qui plus poteſt. Nunc ergo Sabaudicas ditiones inſpiciamus. quas ne ut in longitudinem & latitudinem nobis metiri ſit neceſſe, ipſe fecit adverſarius, cui ſatis fuit veterum aliquot de Gallia Scriptorum locos invertere & depravare, ac hiſtoriæ caliginem quandam offundere. Variet ergo nomina ut ei lubet: Ciſalpinos, Inalpinos, Tranſalpinos, Allobroges, Tauriſcos, Ægones appellet: non excuſaverit, quod quæ ex Lib. II. Polybii adducit, truncavit, mutilavitque ut verus ſenſus abſconderetur. Vellet enim, quæ Polybii verba ſunt: *Subiacent in ultima & maxime Boreali parte Italiæ ſiti, omnium qui tota Europa nobis cogniti*

 ſunt,

ſunt, longe præſtantiſſimi rebus univerſis: de ſolo Pedemontano tractu accipienda, qui quidem tractus portio eſt Sabaudici Ducatus utut non pænitenda. At vero Polybius eoſdem illos campos quos ἀρετῇ καὶ μεγέθει διαφέροντας τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην dicit, ad mille ducenta & quinquaginta milliaria exporrigi docet, qualem Pedemontano tractui circuitum ne ipſemet quidem, nedum ullus Coſmographus attribuerit. Nec omittendum, non modo in genere ibi Polybium loqui, ſic ut quæ iſthic habetur enumeratio ad ſolum Pedemontanum tractum nequaquam poſſit reſtringi: ſed & poſtquam ita in genere de tota Italia diſſeruit, ejuſque triangularem formam pro inſtituto explicuit, tum demum ab ipſo ſubjici illa verba, quæ priore loco adverſarius ſibi citanda duxit: *In alpibus ab utroque latere loca montana habitant ad eam partem, quæ verſus Rhodanum & Septentrionem ſpectat, Galli qui Tranſalpini vocantur. Ad eam vero quæ campis imminet, Tauriſci & Ægones, & alia pleraque Barbarorum nomina, à quibus Tranſalpini non genere ſed differentia loci differunt.* Idem eſto judicium de loco Taciti lib. II. Hiſtor. quem certe non potuit non plane ſubleſta fide truncum Lectori obtrudere. Propalam falſiſſimum eſt, quod de ſolo Pedemontano loquatur Tacitus, idque florentiſſimum Italiæ latus quod inter Padum & Alpes appellet. Sed inquit ille: *Florentiſſimum*

Italiæ

Italiæ latus, quantum inter Padum Alpeſque camporum & urbium armis Vitellii (namque & cohortes Cæcinnæ advenerant) tenebatur. Non per tam anguſtos fines ille fluviorum Rex, qui Strabone, Mela, Plinioque teſtibus triginta fluvios in ſe recipit, & prægrandibus oſtiis in Adriaticum exoneratur, agmen aquarum ſuarum evolvit ut in ſolum Pedemontium coërceatur. Polybius: *Padus fluvius quem Eridani nomine Poëtæ celebrant, oritur ex Alpibus, qua potiſſimum parte eſt figuræ ſupra poſitæ vertex. Primo ſtatim ortu ſubjectos petit campos in meridiem converſus: ſed mox in planitiem egreſſus, mutato in orientem curſu, per eum labitur, donec ſinum Adriaticum duobus oſtiis ingrediatur. Cæterum univerſam planitiem ita dividit Padus, ut longe major pars ea ſit* (audin' Monode?) *quæ ad Alpes & Adriam porrigitur,* &c. quę ſequuntur. Putidum porro quod per emendicata ſuffragia eaque nec vera, Allobrogum genti fortitudinis laudem conciliare ſtudet. Quos Geſatos ait vocari, tum à Geſo (teli id genus) tum quod Geſatum, quis dixiſſet, idem habitum fuerit ac ſi ipſam fortitudinem nominaſſet. Teli id genus non ex eorum numero fuit, quo illa haſta Pelias, quam lacertis imbellibus oneroſam & gravem edicit apud Poëtam Telamonius, ſed leve admodum, & quod in ardua montium enitentes non impediret. Indicat id ipſe Virgilii textus, cum ait:

— *Duo*

— Duo quiſque Alpina coruſcant
Geſa manu, ſcutis protecti corpora longis.

Neque enim pote, ut brachio ſiniſtro ſcutum portantes dextra duo gravia tela vibrarent. Neque quod Alpina dicit, quippiam ad rem: ita enim vocantur, quia in Alpibus nata, eoque laudantur tanquam ligni durioris, non quod id genti particularem gloriam conciliarit. Sed videatur in hunc locum ſuis ad Virgilium commentariis Ludovicus de la Cerda: Geſati non viri fortes appellati, ſed mercenarii: qua ratione & Amedæum Sabaudum (ut infra dicam) Geſatum Monodus potuit appellare. Non nos hoc fingimus, ſed autore dicimus Polybio, qui προσαγορευομένους διὰ τὸ μισθοῦ στρατηγεῖν Γαισάτους ait, id eſt, *quod conſueſſent æra bellando mereri, Gæſatos nominatos.* ἡ γὰρ λέξις αὕτη τοῦτο σημαίνει κυρίως, pergit: *id enim proprie ea vox ſignificat.* Lib. 11. Quo ſane loco non mercenariis illis Geſatis fortitudinis laudem tribuit Polybius, ſed Inſubribus & Bojis, quos potentiſſimas inter Gallos gentes appellat. Quod nec ipſum Monodum fugit, cum ex eodem Polybio conducta Geſatorum triginta millia commemorat: item hoc ipſo capite, iis in promptu magnam auri ſummam oblatam. Sed hæc in tranſcurſu vel digito eminus oſtendiſſe ſuffecerit, neque enim noſtrum eſt laudes, qua ſe gentium hæc aut illa efferri ac prædicari geſtit, accidere, aut malignis detrecta-

trecta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

trectationibus elevare. Fuerint, eſto, bellorum tori, lacerti, fulmina: rapiant & nunc ad ſe bellandi peritiam, eamque à majoribus traditam pari cura ſervari glorientur: non intercedam, immo ultro concedam. Sed quid hoc ad Regales ditiones Sabaudi? Illud etiam potuiſſet ſilere, Geſatos ob animi magnitudinem & incredibilem gloriæ cupiditatem nudos ante aciem ſtetiſſe, aut ſtare ſolitos, Polybio teſte. Non enim incredibilem gloriæ cupidinem hoc factum oſtendit, ſed ſtolidam & Barbaram ferociam, ſeu ut Polybius ait, φιλοδοξίαν, hoc eſt, ut bene Caſaubonus vertit, *Vanitatem*. Nec ſane hoc verbo infamat audaciam illam Hiſtoricus, ſed ipſo eventu: qui cum longe aliter cecidiſſet, ac fortes hi & glorioſi milites putarant, eos dicit quid agerent, quid conſilii caperent, neſciviſſe. Et paulo poſt: *Malis tandem victi & difficultate certaminis alii eorum pari ira & ſtoliditate in hoſtes temere irruebant, & ad cædem ultro ſe objectabant; alii ad ſuos ſe recipientes metum ac pavorem palam profeſſi à tergis poſitos ordines conturbabant. Ita Romani Iaculatores Geſatorum feroces animos dejecerunt.* Hæc ex Polybio. Poſſet etiam ſilentio tranſmitti, quod ait Amedæum inito cum Venetis fœdere, equitum quatuor millia ſecum in communem hoſtem eduxiſſe, niſi id eo ſpectaret, ut inani iſto atque evanido potentiæ ſimulacro ſuum velut beneficium Sereniſſi-

mæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

mæ Reipublicæ imputaret. Quod ferendum non eſt, nec minus oſtentationis intempeſtivæ quam ingratitudinis invidia merito laborat. Videt facile æquus rerum æſtimator, non de nihilo eſſe quod neſcire nos voluit, quo id tempore acciderit. Bene vero habet, quod Amedæum ſaltim Ducem nominavit, cujus geſta perquirere ſic potuimus. Is vero quotieſcunque in fœdus cum Venetis convenit, ſic ſe comparavit, ut mercenarius eſſet Venetis Sabaudus: quamquam nihilominus à ſua, ſive qua conſtitutum fuerat parte, Reſpublica in hoſtem ſemper moveret. Quod nunquam Sabaudo factitatum, niſi perſolutis prius aut refuſis ſtipendiis, ſine quîs neque militem conſcribendi, neque conſcriptos ſub ſigno retinendi atque ex deſtinato educendi facultas ipſi ſuppetebat. At neque Sabaudorum (ad temporum iſtorum hiſtoriam provoco) eo ſeculo nimium luculentæ res erant. Auxiliaris ſi fuit, ut fuit, de ſuo nec hilum eſt elargitus, nec minus in partem prædæ aut ſpoliorum venit quam periculi. Sic videas Amedæum ex fœdere anni cIↃ CCCC LXVII. quod ictum eſt XXV. Octobris, ſtipendii nomine à Republica tuliſſe octo florenorum millia; necnon & Philippum Sabaudum ſummam conſimilem. Examinentur omnes, quæ ſuperſunt, fœderum tabulæ: non alia lege conveniſſe ipſos unquam liquido clarebit. Nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

hil ergo ſponte ab iis factitatum, ſed ex pacto, & quod conducti eſſent. Ac vel ex hoc ſolo apparet quantæ præ Sabaudicis viribus tum temporis etiam in continente fuerint res Vetorum. Si enim talis tantuſq; erat Dux Sabaudus, quam pingit adverſarius, cur ei cui exæquare eum contendit, levi pretio ſe ſubmiſit, inque communi diſcrimine non gratuitam operam præſtitit, ſed mercenariam locavit? Cur Venetos, ipſi non minus quam ſibi bellum gerentes, ac proinde quibus ſociis expeditionum ipſe potentia inferior non eſſet, ſua cum infamia hoc damno incommodoque voluit mulctatos? Pari audacia Barlettani duelli recordatur, & Petri Cialcii Sabaudi in eo robur, extollit. Quod cum multis rebus reprehendere liceret, omittemus, dixiſſe contenti partem pro qua Cialcius conſtiterat, victam omnibus ad unum internecione cæſis, unumq; funeſtas agminis ſui reliquias ſuperfuiſſe Cialcium. De quo ſatis certa annalium fides. Super hæc omnia ſerio etiam venit demonſtraturus, jam olim penes Allobroges Regnum fuiſſe, quod non minoribus populis aliquibus, ſed ipſis Romanis rerum Dominis, fuerit metuendum. Solos Allobroges fuiſſe qui Brenno Rege Romam invaſerint atque expugnarint: Brennum non fuiſſe Gallorum Regem, neque à Camillo victum, eo nomine Livium adulationis inſimulat. Quæ quot flagellis

gellis objurgari merentur? Primum communi conſenſu omnes teſtantur hiſtorici & Poëtæ Romani, Gallos Senones fuiſſe, qui Romam ceperint, quos Livius ait Celtarum fætum emiſſos diverſis agminibus in alias terras brevi regionem omnem inter Padum & Alpes occupaſſe, Mediolanum, Brixiam, Tridentum aliaſque urbes condidiſſe, &c. quos Florus ab ultimis terrarum oris & cingente omnia Oceano profectos, quum jam media vaſtaſſent, inter Alpes & Padum ſedes poſuiſſe. Ut adeo ipſi illi veri Allobroges indigenæ miſeriori fortuna quam aliæ Italiæ gentes ab his excepti fuerunt, inter quos pars eorum conſedit: tantum abeſt, ut Allobroges cladem illam Italiæ intulerint. Audiamus Trogum Pompejum lib. XXIV. *Galli abundante multitudine, cum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad ſedes novas quærendas velut per ſacrum miſerunt. Ex his portio in Italia conſedit, quæ & urbem Romanam captam incendit, & portio Illyricos ſinus ducibus avibus per ſtrages Barbarorum penetravit, & in Pannonia conſedit.* Mox: *Hortante deinde ſucceſſu diviſis agminibus alii Græciam, alii Macedoniam omnia ferro proterentes.* Quis hæc in ſolos Allobroges competere dicet? potuiſſe eos trecenta millia hominum ad colonias mittere? Credo ſi ut Myrmidones è formicis, aut ut Pyrrhæ & Deucalionis genus è jactu lapidum penes eos naſcerentur.

Dein-

Deinde Brennus non fuit Rex proprie dictus, quales nunc Reges ſunt, & qualis Sabaudus velit eſſe, ſed Imperator, ſeu Dux belli: cui nec in pace ulla poteſtas, & tum non niſi precario imperabat. Quæ de Gallorum Senonum vitæ genere Lib. II. Polybius ſcribit, cuivis hoc facile approbant. *Sodalitatibus*, inquit, *colendis præcipue ſtudebant. Iſtaque apud illos plurimum timetur & potentiſſimus cenſetur, quem plurimi colunt, ex nutu illius ac voluntate pendentes.* Vides nullos vi poteſtatis atque ordinatione fuiſſe timendos ac potentiſſimos: ſed qui talis volebat eſſe, eum artificiis & aucupiis quibuſdam plurimorum animos ſponte ipſorum adjungere debuiſſe. Quare Juſtinus, vel Trogus, Valerius Maximus, & alii Ducem Brennum appellant. Et ſic Regis vox ſæpe accipitur. Carthaginienſes non Regnum, ſed Rempublicam obtinuiſſe, jure ſummo penes Suffetes, qui iidem erant qui apud Romanos Conſules, notiſſimum eſt. Et hos binos Reges vocat Cornelius Nepos in vita Hannibalis. Item βασιλέα Καρχηδονίων dicit Polybius Lib. III. & Lib. VI. καὶ γὰρ βασιλεῖς ἦσαν παρ' αὐτοῖς. Sic Haſdrubalem, Hannibalem ſæpe Reges vocat Silius Italicus. Denique non Brennus cepit Romam: ſed Brennum illorum Regem vel Ducem fuiſſe, qui in Græciam abierunt, notant hiſtoriæ. Et ſi Chronologos adhibeamus, patebit, inter Gallorum

adverſus urbem expeditionem, & Brenni oppugnationem templi Delphici ad minimum duas annorum decades intereſſe. Nempe hæc Gallorum portio tantiſper in Illyrico & Pannonia morata fuerat. Gallorum Senonum Dux, qui in Italiam ivit, à Fabio Legato ad Cluſium occiſus eſt, ut teſtatur Livius. Si ergo hic fuit Brennus, nec Romam capere, nec in Græciam ire potuit. Ecce plauſtra errorum, quæ effundere maluit noſter improbæ frontis adverſarius, quam Allobroges ſuos non alienis ornare plumis. Quomodo ergo adulatus eſt graviſſimus Patavinus ſcriptor, ſi dixit quod cæteri omnes? quod conſentiens autoribus fama? Hic tamen aliquid ſe poſſe ſibi videtur. Obducit enim Livio Polybium: eum dicere, legationem ad eos miſſam qui trans Alpes & Rhodanum habitant, hoc eſt, ut ipſe vult, Allobroges ſive Sabaudos. His Reges fuiſſe Aneroeſtum & Congolitanum. Ab legatis in memoriam iis revocatum, quod olim Roma per victoriam fuiſſent potiti, & cum ibi menſes ſeptem imperaſſent, ſponte reſtituto Romanis imperio integris omnibus fortunis ſuis feliciter in patriam eſſent reverſi. Narrare item Polybium Romanis formidatos fuiſſe Allobroges, quaſi fatalem urbi ſuæ gentem. Sed & hic ſibi ſimilis, verus & germanus Monodus eſt. Primo falſum, quod ad Allobroges, quos ipſe proprie Sabaudos vo-

cat,

cat, miſerint, ſed ablegarunt ad Gallos cognatos ſuos legatos, & quidem eos Gallos qui trans Alpes & Rhodanum habitabant, ad Gallos, quod volens data opera omittit adverſarius. Verba ſunt. Διεπέμποντο πρὸς τοὺς κατὰ τὰς Ἄλπεις καὶ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν κατοικοῦντας Γαλάτας. Qui quod Reges habuiſſe dicuntur, ad id jam reſponſum eſt. Fuerunt enim tales, qualis non ſemel Cæſar de bello Gallico & Tacitus de moribus Germanorum deſcribit: audiebanturque prout ætas, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia erat, autoritate ſuadendi magis quam imperii poteſtate. Similiter quod à legatis res geſtæ majorum memoratæ ſunt, non pertinet ad Allobroges, quos dicit Monodus, ſed ad omne nomen Gallicum, qui quæ à parte gentis ſuæ facta eſſent, non ſine cauſa participabant aut ſaltim probabili ratione vendicabant. Ita Mithridates ad exercitum apud Trogum: *Audire populos Tranſalpinæ Galliæ Italiam ingreſſos, maximis eam pluribuſque urbibus poſsidere: & latius aliquanto ſolum finium in Aſia, quæ dicatur imbellis, eoſdem Gallos occupaſſe, nec victam ſolum ſibi Romam dici à Gallis, ſed etiam captam, ita ut unius illius montis tantum cacumen relinqueretur, nec bello hoſtem, ſed pretio remotum: Gallorum autem nomen quod ſemper Romanos terruit, in partem virium ſuarum ipſe numeret. Nam hos qui Aſiam incolunt Gallos, ab illis qui Italiam occupaverant, ſedibus tantum diſtare:*

originem quidem ac virtutem genuſque pugnæ idem habere. Ipſe porro Polybius non tam ait hoc argumento Geſatos ad movendum in Romanos bellum quam auri ſumma victos, & ſpe divitiarum, quibus parta victoria fruerentur, illectos. Præſertim cum periculum à Romana magnitudine ipſis quoque imminere monſtraſſent legati: quem metum ut ponerent, hoc unum adferebant, quod ſe ſocios bellorum ipſis promitterent, rerum à majoribus geſtarum memoriam ipſis revocantes. Majores non Allobrogum, ne Geſatorum quidem peculiariter hic deſignari vel ipſe adverſarius videat, ſed in genere Gallorum: non aliter atque illi Aſiatici hanc ſuam gloriam Galli putabant. Illa etiam præcipua fraus adverſarii & notabilis, quod quæ à legatis hic dicuntur, perinde habet & allegat, ac ſi hiſtorici eſſent id ipſum pro vero narrantis, de Roma ſcilicet per ſeptem menſes poſſeſſa, inde ultro omiſſa, & reſtituto Romanis imperio, & Gallorum deinceps profectione pacata in proprias ſedes. Mirum non eſt eum, qui aliam gentem ad ſocietatem belli ſtimulare cupit, apud eundem mentiri de rebus olim patratis, & ſic fiduciam ei facere proſperi eventus. Hoc enim efficaciſſimum telum ad homines non modo magnanimos, ſed etiam feroces & barbare ſuperbos impellendos, dum putant ſuarum omnino eſſe partium, famam glo-

riam-

riamque, quam habere ſe exiſtimant, data occaſione tueri. Nemo adeo ignarus hiſtoriæ Romanæ eſt, ut neſciat omnia iſta falſiſſima eſſe, neque dari quemquam, cui ea adſeverare unquam in mentem venerit, nedum caſtigatiſſimi judicii Polybio. Sic Mithridates in dicta oratione ad exercitum enarrat omnia infelicia Romanorum prælia, quique eos vicerint, tacito exitu ſubſecuto, qui ſemper clades priores compenſaverat: adeo impudenter, ut ingrati animi crimen ipſis impingat, quod Maſiniſſæ Nepotem Jugurtham, flagitioſiſſimum & conſceleratiſſimum hominem in triumphum duxerint. Quæ Trogo hiſtorice ſcribenti narrata eſſe, aut Juſtino, nemo tam ſimplex fuerit ut dicat. Prorſus igitur illa adeo ſunt abſurda, inepta, inconſiderata, ut nec refutatione egeant, tam à vero aliena, ut niſi quoſcunque lectores bardos ac blennos fecerit, adverſarium ſtuporis ſtupendi aut præpoſteri ad ſua quovis modo ſtatuminanda zeli vel me tacente ſint accuſaturi. Jam quis non damnabit fidem ejus, qui ex Polybio audeat citare: Veniebant in mentem vetuſtæ clades, & quaſi feralem Romanæ urbi gentem omnes formidabant. Nego illa verba, *quaſi feralem Romanæ urbi gentem*, Polybii eſſe: nego Polybium de Allobrogibus loqui: ajo de Gallis, eoſque à Polybio diſertim illic nominatos adſevero. Ita enim textus: Ἔπι περὶ Γαλατῶν

ἐγκαθημένου ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν τοῦ παλαιοῦ φόβου. id eſt, *animis terrore priſtino nominis Gallici adhuc inſidente.* Sane quin hic merito ab omni manu adverſarius vapulet, nemo, opinor, intercedat. Atque hæc hactenus. Nunc etiam alium Regem Allobrogum nobis fabricat. Equidem non video quò hoc pertineat. Fuerint eſto: nunquid & nunc ideo ſunt? Et Roma ſedes fuit Occidentalis Imperii: & Gallia, Hiſpania, Aſia Provinciæ: & Prætorum faſcibus rectæ: numquid ergo adhuc ſunt? aut poſt extincta ante tot ſæcula hæc nomina regreſſus eo datur? Sed tamen quis iſte Rex Allobrogum Monodana rogatione creatus? Nempe Julius Cottius citatur, Rex Alpium Cottiarum, & quidem non Rex ſuo jure aut populi, ſed Claudii Imperatoris nuncupatione factus. Bene habet: ſiquid imitari debet Sabaudus Dux, hanc terat orbitam, ac ſimili modo regium nomen expectet. De Cottio ſic Lib. LX. *Claudius M. Iulio Cottio paternum Principatum, quem ad Alpes ſui nominis habebat, adauxit, tunc primum eum Regem appellans, iiſdem verbis:* ΒΑΣΙΛΕΑ ΑΥΤΟΝ ΤΟΤΕ ΠΡΩΤΟΝ ΟΝΟΜΑΣΑΣ. Regem Cottum, quod ab Auguſto inter amicorum Principes habitum fuiſſe jactat, nihil habet ex vero. Receptum fuiſſe in amicitiam verum eſt, non quidem ullo ipſius præſigni merito, ſed magis quod timorem poſuiſſet quam quod amare-

tur. Ammianus: *Rex Cottius perdomitis Galliis ſolus in anguſtiis latens* (ubi hic Hyperbole tua Monode?) *inviaque locorum aſperitate confiſus, lenito tandem terrore, in amicitiam Octaviani receptus Principis molibus magnis Alpes Cottias exſtruxit, ad vicem memorabilis muneris, compendiarias & viantibus opportunas.* Lib. XV. Ubi iterum vox Regis ut ſupra dictum accipitur. Princeps enim erat & à Claudio primum Rex eſt appellatus. Ipſæ Cottianæ civitates quo tempore recenſente Plinio Latio fuerunt donatæ, nihil præ cæteris eximii habuere, præter id unum quod non fuiſſent hoſtiles: eoque habitæ non ſint inter populos qui trophæo Auguſti in Alpibus eſſent inſcripti. Hic autem nobis omittendum non eſt ſe Judice adverſarium cadere. Sereniſſimæ Venetorum Reipublicæ regios honores Regni Cretici intuitu deberi negat, eo quod à Metello Creta olim in Provinciam fuerit redacta: Duci vero Sabaudo eoſdem deberi contendit nunc eo nomine, quod Reges quondam Cottiis Alpibus fuerint, quas ſub Nerone in Provinciam redactas ultro fatetur. Non repetam ſuo loco cumulate dicta: ipſe ſe elaqueet, tenetur. Hoc negari nequit, videri ſucceſſionem in ipſo capite defeciſſe. Suetonius in vita Neronis: *Ponti regnum concedente Polemone, item Alpium defuncto Cottio in Provinciæ formam redegit.* Similiter Sext. Aurelius Victor: *Pontum in jus*

Provinciæ Polemonis reguli permiſſu redegit; itemque Alpes Cottias Cottio rege mortuo. Similia ſunt quæ habet in Chronico Caſſiodorus, Eutropius Lib. VII. Diaconus Lib. VIII. Hieronymus Chronici Euſebiani Lib. II. Quoque nec volam nec veſtigium regii nominis ſuperfuiſſe conſtet, ita Vopiſcus in Aureliano: *Nero ſub quo Pontus Polemoniacus & Alpes Cottiæ Romano nomini tributæ:* Ergo ante omnia reparandum adverſario vaſtum illud chaſma, quod inter Neronis tempora & hæc noſtra intercedit, ſi argumento ſuo aut exemplo pondus ineſſe credi cupit. In eo porro deridiculus eſt, quod à facto Rudolphi, qui ſe Regem ab Epiſcopis ac populo creari curaverit, argumentatur, præſertim cum ſciat id ipſum belli cauſam fuiſſe: nedum ut pro facto bono acceptum fuerit, illique quorum intererat acquieverint. Quod cum ipſe fateatur, non opus eſt ut pluribus deducam. At vero inſiſtat huic munimento quantum lubet. Voluit ſe Regem creari Rudolphus; creatus eſt: idemne in Sabaudo locum habeat, quem perpetuus Vaſallitii vinculi nexus Imperatori obnoxium facit? Quis eum populus, qui Clerus, qui Primates Regem creabunt? Hos enim prius juris ſui eſſe oporteret. Quod certiſſimum eſt in Sabaudos minime cadere poſſe. Non me fugit, adverſarium ut hoc telum exeat, effutire auſum, Sabaudiam Imperii feudum non eſſe.

Sed hoc tam falſum eſt quam ipſa falſitas. Proprias Sabaudi Ducis literas teſtes citare poſſim toti Orbi expoſitas atque evulgatas, poſſim infinita ex Archivis Imperii ſcriptorumque teſtimoniis in contrarium afferre, niſi fruſtranea ſit rei omnibus compertæ demonſtratio. Prout hoc ipſo tempore ſtatus eſt Sabaudici Ducis, operam ludit adverſarius, cum ejuſmodi παράδοξα tuetur. Neque enim quæritur quid Sabaudiæ Dux poſſideat, ſed quomodo. Quæcunque vero poſſidet, poſſidet tanquam feudum, poſſidet tanquam Dux. Monſtro ſimile ſit dicere aliquem Regni alicujus Regis titulo ſuppreſſo Ducem eſſe: ut ex adverſo Ducem aliquem nudi Ducatus Regem facere. Sit vel millies Regnum aut fuerit quod aliquis tenet, quamdiu non alium ſe jure gerit quam Ducem, Ducatus dicetur. Nemo credat adeo inſulſos fuiſſe & ab omni juris ſui cognitione deſtitutos Sabaudiæ Duces, ut paſſuri fuerint tantam illius immutationem, nemo adeo injurios in ſuam atque Imperii Majeſtatem Imperatores, ut non maluerint Regem habere ſervitutis inſtrumentum quam Ducem. Quanto potioribus quis imperitet, tanto potiorem habendum eſſe ipſum omnes norunt. Atque hæc quidem quod Imperatorem attinet. At vero, ſi ſe ad Regem Galliæ convertat Sabaudus Dux, quam ibi negocium hærebit! Non ego hanc telam or-

diar: quin Monodum potius cum Caſſano Regni Gallici vindice committam: cujus ſi argumenta diſſolvere quiverit, plura hercle præſtiterit, quam hoc aſſerto quod nunc ſibi ſumpſit adſtruendum. Illud denique impudentiſſimum eſt & profligatiſſimæ adulationis excrementum, quod ratione Regni quondam Burgundiæ *ſuo jure* ait Ducem Sabaudiæ poſſe regios titulos ſibi vindicare. Nullum hic *ſuum jus* Sabaudo Duci vel per ſomnium fingi poteſt, corradat atque emendicet quæcunque ſuffragia Monodus: fundamentum in quo ſtabilire hoc poſſit, nuſquam inveniet. Nemini in aliena jus eſt. Atqui Burgundia in plures Dominos diſtracta Sabaudum non agnoſcit. In ſubditum non cadit libertatis prærogativa. Quicquid vero poſſidet Sabaudiæ Dux, poſſidet ut ſubditus & ſuperiorem agnoſcens. Qui quidem character quamdiu ipſius dignitati impreſſus eſt, immo inſculptus atque inuſtus, non ſunt niſi bullatæ nugæ, quæ magnitudine, amplitudine, fertilitate præſtantiaque ditionum Sabaudicarum ad invidiam coacervantur. Inæſtimabilis res Libertas eſt, & vel tuguriolum quod ſui ſit juris, hoc nomine ante ampliſſimas ditiones locatur. Quanto ſplendidiora hæc, quanto in illuſtriori conſtituta atque conſpicua facit, tanto magis in Ducem ſuum peccat, dum re vera nihil efficit aliud, quam quod illius evincit ſplendi-

dam

dam eſſe, & in illuſtri conſtitutam orbi terrarum teſtatam facit ſubjectionem.

CAP. XXII.

Sabaudi Ducis jus ad Regnum Cypri diſcuſſum. Venetorum aſſertum Reſponſum ad locum Bagnaſſaſci I. C^{ti} Regnum Cyprium tributarium directum Dominum agnoſcebat olim Sultanum Ægypti. Ab eo excluſa ſucceſſio fœminea, quamdiu mares vel nothi ſupereſſent. Iſque Regem dixit Iacobum. Qui non modo inveſtitus eſt, poſſedit, tributum ſolvit: ſed & molitiones contra ſe Sabaudicas armis directi Domini evertit. Ejus hæres filius, atque hujus deficiente alia maſcula prole mater. Cujus ſucceſſores Veneti agniti tum à Sultano, tum à Turca, quibus ad centum annos penſionem annuam ſolverunt, donec nefaria vi ſunt ejecti. Sabaudus à Carolotta excluſa & jure deſtituta nullum jus habere poteſt, neque ſucceſſit ei, neque poſſedit, neque inveſtituram unquam petivit, unde directo Domino feudum aperuit, ſe ſi maxime jus habuiſſet indignum reddidit. Anteriores Sabaudi Duces neque jus hoc prætenderunt, neque ut prætenderent ab adulatoribus potuerunt perſuaderi.

HUc uſque inopes rerum & canoræ nugæ. Hoc demum capite diſcurſus ſui, quod ordine eſt quartum, ſolido argumento ſua conſtabiliturum ſe promittere videtur, cum titulos regales Duci ſuo deberi aſſeverat ratione juris, quod obtendit ad Cypri regnum, ſi Diis placet. Cum igitur debeatur ei Regnum Cypri, negari non poſſe & cum Regno Regium jus ac nomen. Iniquos ergo Venetos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

tos, qui hoc regnum interverterint: ut ex adverſo nihil juſtius quam ſpoliatum, neque in hunc uſque diem reſtitutum iis gaudere prærogativis, quibus eum aliorum iniquitas contra jus ac fas omne deturbavit. In anteceſſum monere liceat, adverſarium noſtrum hac tranſcurſoria allegatione haud contentum, ſeparatam præterea diſſertationem inſtituiſſe, quæ regni Cyprici motus & Sabaudiæ Ducis ad id regnum, quæ dicuntur, juris munimenta fuſe proſequitur. Me vero illam quoque ipſam diſſertationem, quæque ibidem adducuntur è jure deprompta argumenta refutaſſe ſpeciali itidem tractatu: eoque decreviſſe hoc capite, non multis eruere ſpeciem facti, aut ea recoquere, quæ inibi prout exigebat ſeries rerum, jam nunc dicta ſunt. Veſtigium vero in veſtigio pro recepto more fixurum, atque ea duntaxat carptim libaturum, quæ ſi omitterentur, aut legentium animis indere aliquid ſequioris opinionis poſſent, aut cauſæ per ſe juſtiſſimæ præjudicium creare. Quod ergo dicit è contextu hiſtoriolæ, quam de rebus Cypricis conſcripſit, apparere, indebite ac per vim occupatum Cypri Regnum poſſeſſumque à Jacobo Notho, qui Carolottam ejuſque hæredes & ſucceſſores eo ſpoliavit, & verum eſſe conſtanter nego, & vice verſa falſiſſimum eſſe fidenter edico. Hic ergo Rhodus, hic ſaltus. Non conſulam meæ commoditati

ditati ut oneri ſubducam humeros, ubi à ſe aſſerta probare erit anniſus, ipſo probationum defectu, non modo me tuebor, verum & falſi crimen tam nihil ex vero trahenti aſſertioni valide impingam. Iterum nunc hic ſe deſerit, ſolumque ſe tanquam ex Jovis tabulis fert teſtem: quaſi quicquid ipſi effutire viſum, quocunque chartas concacare, nulla ratione convellendam habeat veritatem. Nihil utique iis authoritatibus confieri, quas mantiſſæ vicem ei de qua ſermo mox fuit, diſſertationi attexit, planum jam iſthic à nobis factum: neque ipſe tantam in iis fiduciam unquam ponere eſt auſus, quaſi non plurima in illis ipſis deprehenderit, cauſam cujus patronum ſe fert, jugulantia. Hic loci dixiſſe ſuffecerit, aut nunc calumniari hominem, qui vim & violentiam Jacobo Cyprio affricet, aut falſum illa diſſertatione ſcienter atque opera data ad nos tranſmiſiſſe, cum ait tributarium hoc Cypri Regnum, cauſa per legatos idque iterato agitata, oblato ab utroque candidatorum conſueto tributo, ceſſiſſe Jacobo, poſthabito Ludovico Sabaudo: & hoc quidem decreto directi Domini, cui tributum in vim atque agnitionem dominii perſolvebatur. Hæc conciliet neceſſe eſt. Quod quoad uſque non præſtat, fruſtra gratulabundus canit ἐπινίκιον ante victoriam, jactatque vim rationum atque cauſæ ipſius bonitati & juſtitiæ præjudi-

care

care non poſſe: ac proinde poſt injuſte deturbatos Ludovicum & Carolottam, nihil illos, qui hos de ſolio deturbarint, è facto violento juris nanciſci potuiſſe: Quod quidem ego prout aſſeritur, facile largior, ſiqui ſunt, qui vi egerint, vim eam jus generare non potuiſſe. Etiam quæcunque in hoc capite de violenta poſſeſſione, ſpolio, indebitis modis, quæque hujus farinæ plura eructat, ne attingam quidem. Quis enim hæc neſcit aut negat? Sed applicanda hæc erant, & probandum, eſſe aliquos, nempe Venetos, in quos iſta competant. Secus quid juris ſit multum diſputare, ubi non poteſt probari quis contra jus feciſſe, quid eſt aliud quam verba prodigere? ubi debet probari, quid aliud quam principium petere? Accedamus vero ad D. Bagnaſſaſcum, in cujus teſtimonio ſic ſibi placet acſi dediſſet illud

Pythia, quæ tripode ex Phœbi lauruque profatur.

Ego vero (pace hoc illius dixerim) quot verba, tot ſphalmata deprehendere in eo mihi ſum viſus. Ut veritati candorique quem profitemur, ſatisfiat, ipſam concluſionem D. Bagnaſſaſci membratim exhibere ex re fuerit, Audiamus ergo hunc venerabilem teſtem & togas componamus.

Nunc ergo per interventum anteceſſorum ipſius (Sereniſſ. Amedæi Victorii, Sabaudiæ Ducis) *ipſi quæſita, inque ipſum tranſmiſſa ſunt vera & legi-*

legitima Regni Cypricijura. Nihil iniquius. Regnum Cypri tributarium fuiſſe, directum Dominum habuiſſe fatetur Jeſuita Monodus. Principium ergo tranſmittendi juris non ab ipſo facto, ſed à jure directi Domini jus Regni conferre valentis, arceſſendum. Alia Regnorum, alia Feudorum ratio. Ponamus tamen æqualem eſſe. Fatendum erit nullum adeo exiguum feudum dari, quod non à directo Domino dependeat, cujus non ſit invalida tranſmiſſio non accedente illius conſenſu. Contrarium attentare nihil aliud ſit, quam in Dominum committere, & ratione commiſſi feudum Domino aperire, eique in quem voluerit conferendi poteſtatem facere.

Tam ratione contractuum dictorum, titulique à tranſactione & donatione. Non quid actum contractum, tranſactum donatumve ſit, hic moramur (illa enim ſuo loco ſunt revulſa) ſed quid illud ſit ſuper quo agi, contrahi, tranſigi potuerit aut donatione in donatarium transferri. Nego hic locum eſſe poſſe ulli privatorum contractui. Nulla adeo libera regna ſunt atque à ſe dependentia ut aut maſculorum pari, quoties exſtiterint, aut fæminarum ſucceſſionibus ſi per leges regni ad ſucceſſionem admittantur, præjudicari poſſit, aut ex æquo maſculis aut fæminis deficientibus per illorum contractus, qui perſonam non excedens jus, puta ſuccedendi ut hic, ſibi vindicat, liber-

bertati populi eum ſibi eligendi, quem ſibi cum imperio præeſſe velit, obrogari.

Et à ſucceſſione, ut ſupra dictum eſt, (promanantis.) Quæ eſt illa ſucceſſio Ducis Sabaudiæ? nempe à jure fæminarum. Atqui certum eſt illis exſtinctis ſuperfuiſſe maſculos è domo Luſignana oriundos: neque quicquam explicatius quam in Regnorum ſucceſſionibus potiorem quaquaverſum maſculorum præ fæminis rationem haberi. Quod ut juris minime eſt dubii, ita neque ipſum factum, nempe ſuperfuiſſe maſculos, in controverſiam vocare vel Monodus vel Bagnaſſaſcus velint: & ut velint, confundat eos arbor gentilitia, quam ipſe Luſignanus, cujus fidem per omnia ſequuntur, confecit, quæque etiamnum multorum manibus circumfertur. Hoc primum. Deinde quoniam tamen à fæminis jus ſucceſſionis ſuæ derivat, vel hoc facit à Carolotta, aut Anna, quæ ſoror illius Joannis fuit, qui Carolottæ erat pater, aut utraque. Si Carolottam obtexit, obſtat inveſtituræ defectus, obſtat ipſum illud declaratorium directi Domini judicium, quo regni jure excidiſſe dicta eſt: obſtat quod regnum, quod neque de facto teſtator habuerit, neque id jure habere potuerit, per rerum naturam, non potuerit ſucceſſione ad hæredem deferre. Sin Annam mavult, nihil agit. Erat enim Anna ſecundo genita, quam annis & jure anteibat Maria, ut

ut ex inſpecta arbore gentilitia manifeſtum. Sin utramque, dicimus à directo Domino lata ſententia fæminas ſucceſſionis in regno Cypri eſſe incapaces, declaratum, vel in tantum ut etiam filii ex non legitimo concubitu nati fæminas vincere debuerint.

Atque hinc ipſo jure verus, legitimus & titulatus Cypri Rex eſt, decoratus dignitate & præeminentia regali, ipſe & ſucceſſores illius. Negatur hoc, & probationem exigenti hic ſatisfaciendum.

Debetque & poteſt iis legitime gaudere ac frui, non obſtante quod Regnum fuerit ab aliis occupatum, aut occupatum teneatur: Negatur & hoc per jam dicta.

Namque occupatores, & maxime Nothus. Occupatores vocari omnes poſſunt, qui ſententiam pro ſe habent: neque obſtat vitium natalium, quod quale fuerit, in medio relinquo. Ut enim ex legationibus ad Sultanum miſſis, patet, hoc maxime argumentum contra Jacobum directum fuit atque adeo unicum, Gorgonis inſtar, quod non eſſet è legitimis complexibus natus. Nec tamen Sultanum movit, quin cauſa cognita inque contradictorio ventilata, agitata, excuſſa, ex certa ſcientia, ex plenitudine poteſtatis, ſecundum Jacobum contra Sabaudum decreverit. Unde & hoc exſtitit, non modo non obfuiſſe id temporis vitium natalium, ſed neque poſteris ipſius, & ab illo titulum deducentibus obſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

re poſſe: nedum ut hoc capite quæſitiſſimum ipſorum jus in controverſiam vocari poſſit debeatve.

Et inde Veneti. Itane Domine Doctor? num & hi uſurpatores? ſi id dici non poteſt, ut certe non poteſt, cur tam exoſi nominis invidia eos it collutulatum? Si dicit, in ipſa juris principia peccat. Omnino ſi dolo caret, qui autore Prætore poſſidet, multo magis eum poſſidere dicendum eſt, qui à directo Domino utile dominium per legitimos tramites eſt adeptus. Talis fuit Jacobus. Quem vero ipſe titulum habuit, labis ſcilicet expertem illum, legitimum validumque, eundem ipſe filio ſuo moriens talem reliquit. Filii Jacobi nomine denuo exinde ab obitu Jacobi ſolutum tributum directo Domino: ut & filio illius ab eodem directo Domino firmatum regni jus, in cujus poſſeſſionem via exſecutiva armiſque auxiliaribus patrem tum fato functum Soldanus contra vim & machinationes Sabaudicas immiſerat. Ordine mortalitatis turbato filio mater ſucceſſit, nulla Luſignanorum, nulla populi Cyprii querela, nullis præter Sabaudum unum, quem jam directi Domini Sententia malam cauſam inique fovere teſtatum fecerat, intercedentibus mater Sereniſſimæ Venetorum Reipublicæ, inque eam jus omne quod habebat, tranſtulit. At enimvero manſit omnino illa perſolvendi tributi neceſſitas.

Nimi-

Nimirum eundem ad modum Jacobus tributum perſolverat penſumque idem filii nomine, & ab exceſſu filii Æcaterinæ nomine, ac deinceps continua ſerie à Venetis ad Æcaterinam Jacobi uxorem, ut jam dicere occupavi, tituli ſui originem derivantibus. Si publicis Archivis, ſi annalibus fides, paratus ſum demonſtrare Venetos annuatim inveſtituræ nomine uſque ad annum cIↃ IↃ XV. Soldano, quod debebatur, erogaſſe: eoſdem deinceps ab anno jam dicto uſque ad cIↃ IↃ & LXX. Turcæ (qui Soldani in jus imperii ſucceſſor) eadem præſtitiſſe. Neque hac in re novatum quippiam, donec Chriſtiani nominis hoſtis communis vi prorſus injuſta regnum Cypri in ſuam poteſtatem redegit. Ita ut neque à Venetis ſpoliatos ſe Sabaudi Duces poſſint queri, neque Venetos ceu malæ fidei poſſeſſores traducere. Et ſic apertiſſima ratione dicendum prorſus, cum veritatem facti ſibi adverſantem habeat Monodus, etiam deficere præſumptiones, rationes, argumenta, quæ à facto hucuſque incaſſum deducit. Nemo his ponderatis, ſaltim qui ſe juris fert Sacerdotem, tales occupatores appellare auſit, ſi quem ex profeſſo jus omne & æquum pedibus calcandi ac proterendi rabies inceſſit, audiat illud: Bacchæ Bacchanti &c.

Nunquam habuerunt jus aliquod aut titulum, nedum infidelis ille Princeps, qui hodie (regnum) id

detinet. Contrarium ex dictis patet. Sed obſervet Dominus Doctor, ſe verſari in negativa, quæ in affirmativam ſua natura ſuaque ſponte reſolvitur: obſervet ſuam negativam loco, tempori, rei demonſtrabili adſtrictam: recordetur negativam ſe tueri, quæ unicum ſit intentionis ipſius fundamentum: ac poſtremo revolvat apud ſe, quæ, quanta, quam immania compendia ſuo Duci, cui hoc bellum militat, adipſci contendat. Quodcunque horum cum animo ſuo reputaverit, videbit ſibi probandi onus ſubeundum, cui an humeros ſuos ſufficere exiſtimet, ipſe conſilium capiat.

Præterquam uſurpationis ac violentiæ. Hæc in Turcam recte dicuntur: Venetos ſi inceſſit, calumniatur.

Per quojuſmodi poſſeßionem (utpote) ſpolii labe adſperſam, & notoria manifeſtariaque mala fide laborantem jus dictis poſſeſſoribus quæri non potuit. Principii petitione hæc laborant, & falſa nituntur hypotheſi: abſque qua pro veris poſſunt tranſmitti.

Neque aliqua ratione derogari juri Principibus Serenißimæ Sabaudiæ domus. Quod jus nobis hic ſomnias, bone vir? Ut Regem quis jure ſe ferat, non ſufficit quod ad regnum regnive jus ambitionis immodicus adſpiret. Regnum ipſo facto ut teneat, tenuerit ſaltim eſt neceſſe: aut ut nullis diſceptationibus obnoxio titulo

tulo ſit munitus: aut ut poſſeſſionem ad minimum non injuſtam probare poſſit, atque in regnis tributariis directi Domini collationem atque inveſtituram. Nihil horum ſuppetit Sabaudo Duci, atque nihil cum ſuppetat, maniſeſtiſſimum eſt hic nomen juris perperam citari; quinimo ob juris defectum neq; Regium nomen, neque Regalem (ita vocant) præcedentiam ipſi convenire. Repetantur jam dicta. Sed hic demum non intelligentibus adverſariis accidit, ut verum ſemel dicant. Non enim poteſt derogari juri Ducis Sabaudiæ, quippe quod nunquam exſtiterit. Quomodo & Philoſophis non entis nullæ ſunt qualitates, nulla accidentia.

Etiamſi talis eſſet millenaria poſſeſſio, Nemo neget, ſi vera ſint, quæ in applicando hoc adſtruuntur, ſed nihil minus.

Semper enim vitium ſpolii & malæ fidei durat. Recte & hoc. Aſt apta ad præſentem materiam. Nunquam oſtendes ſpoliatum Sabaudum Ducem. Dicis? probationibus te prægravibus incaute nimis adſtringis. Probanda tibi poſſeſſio, probanda dejectio: ipſe ſpolii modus enucleandus: oſtendendum per vim, per metum, clam, nulla ſua culpa ſpoliatum Ducem. Succeſſio item in ſpolium demonſtranda, idque diſertim ita, ut qui ſucceſſerit, liquido compertum habuerit in ſpolium ſeſe ſuccedere, eoque mala fide ab aliis invaſa &

priori poſſeſſori erepta ſe ſibi applicare, detinere, habere pro ſuo. Quod optima ratione conſtitutum. Neque enim ſufficit quem poſſediſſe prius, niſi vitium poſſeſſionis in adverſario revincat. Vide Lanfranc. de cauſ. poſſ. & propri. verſ. Quinta concluſio. Adjicienda ſpoliationis ſeu dejectionis dies, annus, tempus. Vid. Bald. Conſ. 441. Lib. 3. Hic præſertim, ubi dolus, vis, uſurpatio expreſſe nulli tali culpæ affinibus affricantur. Non dicam, quam exoſa ſit omnis vis, quam contra jus ipſamque naturam: at enim ſi ipſis in judiciis (quorum non eſt inter ſumma nomina communio) judicium eſt formidabile autoritatis ſuæ miniſterium objicere ſpolianti. l. Judices. Cod. ſi per vim. l. cum quærebatur. Cod. unde vi. l. invaſor. eod. ſi ex adverſo ſumma cautela adhibenda, ne inde injuriarum naſcatur occaſio, unde jura naſcuntur. l. meminerit. Cod. eod. ſcire debuit noſter non temere ad tam ſcæva nomina proſiliendum in re tanta & tam exactas probationes, tam altam indaginem depoſcente.

Et niſi per reſtitutionem ablati vitium ſpolii purgetur, nunquam etiam longiſsima poſſeſsione ſpolianti quid juris acquiritur, ut in jure certiſsimum eſt. Æquum ſtatuit Bagnaſſaſcus, & non contradicendum hic nobis.

Vnde ſemper ſalva atque illæſa perſtitêre jura ad Regnum Cypri penes anteceſſores Sereniſsimi noſtri

Ducis,

Ducis,& hodieque penes ipſum ſunt. Nulla ſequela, quamdiu factum tale non deducitur, ex eo jus aliquod oriri poteſt, aut in quo ratio juris ac diſpoſitio tanquam in ſuo centro ſe defigere valeat.

Et conſequenter nomine,titulis ac prærogativis Regalibus recte utitur. Nobis operæ pretium non videtur,ut non probato antecedente,de conſequente magnopere ſolliciti ſimus.

Non obſtat quod illius anteceſſores titulo, nomine, præeminentiis ac prærogativis Regalibus non ſint uſi. Adferam ad ea, quæ diluendæ huic objectioni ingeruntur,uti ſpero, ſolutionem quæ ſufficiat. In anteceſſum tamen videamus breviter,verumne ſit hoc, quod dicitur non obſtare. Cenſeo Sabaudum Ducem actoris hic partes ſuſtinentem non poſſe agere, niſi rei vindicatoria: eoque regiam dignitatem ſibi confirmando aſſerturum, atque appropriaturum item duo extrema quæ in iſta actione requiruntur, probare debere, quorum neutrum poteſt. Nemini hucuſque fides facta eſt regni Cypri Dominum fuiſſe Sabaudum; nemini fides fiet, ereptum Sabaudo Duci illud Regnum, Venetos (quos tamen hic iniquæ uſurpationis reos arguit) poſſediſſe aut dolo poſſidere deſiiſſe. Horum utrumque quoties non liquet, ipſe illum probandi defectus urget, & nudus quoque poſſeſſor ſola poſſeſſione ſua atque negando, jus agere volenti

competere valide ſe tuetur. Hoc eo magis contra Sabaudiæ Ducem facit, quod quotieſcumque Venetos impetit poſſeſſores juſto titulo innixos, qui re vera poſſederint, poſſeſſionem continuaverint, eamque per vim ereptam animo hodieque continuent: cum neque ipſe titulum qui vel tituli nomen mereatur exhibeat, neque unquam ſe poſſediſſe oſtendat. Quinimo fateatur, majores ſuos ne nomen quidem regale, quæque cætera hic ſupremæ dignitatis habet eximia, unquam ſibi vindicaſſe. Hoc ergo omnino obſtat Sabaudo & infirmitatem prætenſionum ipſius declarat, quod à ſemet ipſo, non aliunde jus, quod tamen tranſmiſſum vult, arceſſit: quicquid comparet pallia Bagnaſſaſcus, quibus hanc nuditatem velet. Ipſum ergo iterum audiamus.

Primo quia primus Carolus Dux, qui Carolottæ immediate in regni jus ſucceſsit, & ab eo cæteri ſucceſſores ſemper in animo habuere, ante omnia in regnum reſtitutionem procurare. (quippe) *quibus videretur convenientius eſſe, regno ſibi comparato titulis (demum) regalibus frui, utut eorum nonnulli morte præventi, nonnulli minorennes, nonnulli legitimis impedimentis diſtricti (ut ex ſupra dictis colligere eſt) quod animo agitarent, perficere non potuerunt.* Hic rurſum fatetur Sabaudos Duces Cypri regnum nunquam poſſediſſe. Bene. Sed quomodo Ducibus Sabaudis animum fuiſſe

dicat procurandi ſuam reſtitutionem, neſcio. Si comparandum erat primum regnum, quomodo reſtituendum? Deinde qua via? armorumne, an juris? Si prius vult, dicam, atque ipſe, velit nolit, agnoſcat Carolottam armis hoc regnum ſuum facere jam pridem anniſam, dum viveret, undique coactis, præcipue Sabaudicis, auxiliis, armis inferiorem, victam, fractam diſceſſiſſe: Injuſta porro fuiſſe arma quæ moveret, durante legitima illa inveſtitura, quam nunc jam Soldanus in alterum contulerat. Quod cum ſolidiſſimam in ſe veritatem habeat, ipſaque adeo Carolotta, quam naſcendi ſors regali throno admoviſſe poterat videri, juſta arma aſſumere non potuerit, non eſt ut juſta dici poſſint ulla arma Sabaudica per hanc cauſam, cum ex Ducibus nemo unquam in poſſeſſione regni ſe locatum viderit. Carolotta armis in verum Dominum eumque directum inſurgens, eo ipſo in feloniam inciderat, ſeque reddiderat regno indignam. Nec expers hujus criminis habebitur Sabaudus, qui illa matrimonio ſibi juncta directum Dominum, ſibi ſuoque decreto illudi non patientem, & quoquo illud modo executioni mandantem oppugnare ſuſtinuit, arma armis opponere, juſtum bellum vi prorſus injuſta propulſare. Sin poſterius arridet, dicam iterum, terminatam jam olim eſſe li-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

tem, contraque illam decretum à directo Domino, quam juris ſui autorem laudare poſſit Sabaudus Dux. Illi ergo cum nihil juris ſuperarit; inſulſum eſt etiam dixiſſe, guttam vel hilum juris ad hunc redundare potuiſſe. Quid vero quod & viva & vidente Carolotta in eadem cauſa idem ipſius locum habuit in perſona Jacobi minoris? Addatur & hoc, non alias leges inibi obtendi potuiſſe, quam quibus alligatum ſe Soldanus profitetur: illas autem (res ipſa loquitur) maſculis exſtantibus fæminas poſthabuiſſe, nullo inter liberos naturales & legitimos diſcrimine. Jungamus & alterum non minus prægnans: Orta inter Jacobum & Carolottam lite, non alium Judicem eſſe potuiſſe quam Imperatorem, Soldanum ſcilicet: ejus arbitrium placitumque legis vigorem habere debuiſſe. Id ipſum ex feudorum jure plus quam manifeſtum, toto tit. Apud quem vel quos controv. feud. defin. At nec minus recentibus Ferrarienſis cum Maximo Pontifice, Mantuani cum Cæſarea Majeſtate exemplis. Quartum ſuccedat Sabaudiæ Duces ad Regnum Cypri adſpirantes intra præfinitum tempus inveſtituram petere debuiſſe: quod omnino ab eis neglectum. Sed etiamſi omnino neglectum non fuiſſet, poſtulanda ea fuiſſet nomine Carolottæ aut Annæ. Carolottæ nomine poſtulari non poterat, quoniam tum erat jam excluſiſſi-

ſiſſima, cum matrimonio ei Aloiſius jungeretur; quia deinceps filio patre ſuccedente excluſa; quia talis poſtulatio contra ſententiam, quæ in vim judicati tranſierat, & velut ab inferis reſuſcitandæ rationes, quæ ſub Judice ſupremo ceciderant. Annæ par omnino cauſa: fæmina erat, cujus rationem haberi maſculis exſtantibus jura vetabant. Quinimo ſi hodieque liberrimam ſuppetere facultatem inveſtituræ petendæ Sabaudis Ducibus fingere velimus, nemo facile expediat, quo pacto poſt non unius ſeculi decurſum eam aut depoſcere aut obtinere poſſint in præjudicium tertii, cujus quæſitum jus medio tempore pro incunctabili & indubitando ſemper habitum fuit. Hoc vero fingere cum non liceat, ex adverſo verum fit jure ſuo (ſiquod habuiſſe potuerint, quod nos conſtanter negamus) excidiſſe Sabaudos Duces, qui intra præfinita tempora inveſtituram non petierint: ut neque re vera fortius argumentum exiſtat, judicaſſe directum dominum hoc regnum fuiſſe caducum, eoque ſibi apertum, quam nova illa inveſtitura, quam continuo Sereniſſima Venetorum Reſpublica, uti jam ante dictum, obtinuit.

Secundo reſpondetur meræ fuiſſe facultatis, quoad dictos anteceſſores, titulo, nomine, ac prærogativis regalibus uti, vel non uti. Nemo unquam Juriſperitus ſtatuat ex eorum genere, quæ libere

fiunt

fiunt eſſe, ut quis Regem ſe appellet illius regni, quod ab alieno arbitrio dependet. Quæ meræ facultatis ſunt, liberrima ſunt, neque ab externis moventur aut impelluntur. Ipſa facultatis vox per ſe hoc complectitur, ut latius in libertate Veneta me exſequutum teneo. Quapropter cum ſuperiorem agnoverit Cypri Regnum, juris ratio non permittat, ut Sabaudicis arbitriis in directi Domini præjudicium nos id ſubſternamus. Dein Regem ſe jactitare illius Regni quod alter poſſideat, meræ facultatis nequaquam eſt. Facultas enim poteſtatem præſupponit, poteſtatem liberam neque aliunde impeditam, qualis poteſtas circa ea verſari non poteſt, quæ ab aliis ipſo facto poſſidentur. Quod tum quoque magis locum habet, cum qui poſſidet, juſtum titulum talem facultatem ſibi aſſerere nitenti contra opponit, dum nimirum, quicquid facultatis alias foret, utroque modo totum exſtinguitur. Sed hæc ſunt notiora, quam ut dici debeant: dici debent tamen, quia adverſarii ea volunt neſcire.

Certumque iis quæ libere fiunt, non præſcribi, neque amitti omittendo aut non utendo ejuſmodi facultatem, ſi quando iſtiuſmodi omiſſione aut inuſu alteri jus non acquiritur. De præſcriptione controverſia non eſt. Omiſſio vero aut quin omittenti aut non utenti præjudicent, cum alter ea faciat, quæ ipſe omittat aut inſuper habeat,

dubio

dubio caret. Sabaudiæ Duces ſiquidem Regio nomine nunquam uſi forent, ſique manifeſtum eſſet, id ipſos modo diſtuliſſe, credibile eſt nulli ipſis præjudicio ceſſurum fuiſſe. Sed enimvero alios dignitatum titulos cum ſibi vindicarint, cumque illud ipſum jus, quod in Regium nomen obtendunt, non ſit extra controverſiæ aleam conſtitutum, omnino non utendo ſibi obfuere, præſertim cum alter (Veneti nempe) uſu contrario exſtinguere potuerit omne hoc, quod non utendo non amitti noſter ſibi figurat; & magis cum talis, ille contrarius uſus momentaneus haud fuerit; ſed (qui noſtris loquendi mos) tractum habuerit ſucceſſivum.

Siquidem ergo anteceſſoribus (jam dictis) minus fortaſſe placuit iſta ſe ratione componere, dignitas tamen iſta ſemper ſuperavit, neque exſtincta dici poteſt, ſed tantum ſuſpenſa. Videt hic agnoſcitque noſter illud, de quo ſtatim ſermo, præjudicium, eoque cum liquido aſſeverare non auſit, uſos aliquando titulis regalibus Sabaudos Duces, verbum *fortaßis* aſſertioni ſuæ infarcit. Porro cum in ſuſpenſo velut habitam dignitatem ajat, unde iſti ſuſpenſioni origo ſit, merito quæramus. Statuendum autem aut à directo Domino eam profluxiſſe, aut ab iis in quos ille inveſtituram contulerat, aut ab ipſis Sabaudiæ Ducibus. Quæ facta eſt à directo Domino ſuſpenſio, ea cum ſublata non ſit, neque ſpes ulla

ulla ſublatum iri, præcipue ſtante illa, quæ tanto jam tempore in rem judicatam tranſivit ſententia, nemo ambigat, quin plenum habeat exſtinctionis effectum. Sin ab iis profecta eſt, in quos inveſtitura fuit collata, utique nec illi ſuſpendere ſic eam poſſunt, ut non eodem momento ſit extincta, ſi modo ſuſpendere poſſunt, & à ſuperiore ſibi collati ſtatus conditionem mutare, quæ quidem nec ab ipſis mutatio pendet; & proinde facili lapſu aut proruit in commiſſum, aut velut ab indigno aufertur, & ad dominum directum retrovolvitur. Illa ipſa libera, non interturbata & per inveſtituram quæſita poſſeſſio neceſſario præſupponit nulli alteri in rem poſſeſſam jus aliquod eſſe, nedum durare. Si à Sabaudis Ducibus, cui tandem fini facta cenſebitur? nihil ex ſuppreſſione jurium ſuorum commodi in eos redundare poterat: immo nihil præter damnum & imminutionem illorum è tali facto præfigurare ſibi potuerunt. Fruſtra vero ullam ſuſpendendi hic eis facultatem largiamur, qui omnino ab omni jure erant deſtitutiſſimi: Impoſſibile eſt ut rem ſibi in feudum conceſſam feudatarius ſuſpendat, ac proinde ſibimet ipſi pro lubitu ſtatum qua conditionis qua obligationis immutet. Interim quoque cum dignitatis hic ſuſpenſionem ponat noſter Doctor, expediendum eſt ipſi, quid proprie fuerit illud, quod Duces Sabaudi

baudi

baudi velut à ſemet ipſis per iſtiuſmodi ſuſpenſionem tantiſper averterint ac ſequeſtrarint, tituluſne an exercitium. Si exercitium, ſuſpendi hoc ab iis nequaquam potuit, penes quos exercitii facultatem fuiſſe negatur: Sin titulum, eo ipſo toti terrarum orbi evidentiſſime monſtrarunt, ſe de jure ſuo dubitare, eique inniti non audere; aliiſque ita ſentiendi ipſos ſuo exemplo primos occaſionem præbere.

Dignitas namque non moritur. Recte; ſed ne moriatur dignitas, aliquando ut vixerit, oportet. Habitum privatio præſupponit. At negatum ſemper iſtiuſmodi dignitatem ullo ſeculo exſtitiſſe penes Sabaudos Duces: quam igitur habuerunt dignitatem, penes ipſos reſidere, quam non habuere, neque mori potuiſſe. Peccat hic denuo petitione principii.

Tertio dicendum, etiam quo caſu Prædeceſſores Domini Ducis neglexiſſent, nomine, titulo ac debitis ſibi prærogativis regalibus uti, non eo quod juri ſuo præjudicare potuiſſe, neque faculti quæ quidem ipſos ſpectaret: cum veriſſima ſit concluſio, quod in iis quæ jus Regnorum ac Principatuum concernunt, anteceſſores facto aut neglecto ſuo iis, quibus in dicta Regnorum jura ac Principatuum ſuccedendi jus eſt, obeſſe non poſſe. Vera ſunt quæ proponuntur, ſed aliquod jus ſupponunt, quod certum & indubitabile ſit, quodque libere de manu in manum ſucceſſoris ac velut è traduce ab anteceſ-

ſore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſore tranſmittatur. At neque hic fortiter facis bone vir, quum de prærogativis ſibi debitis, quas ignoramus, de facultate quæ ad ipſos ſpectarit, quæ figmentum veſtrum eſt, tinnis. Valido argumento uſurus inconcuſſum aliquod antecedens, & fundum non laxandum ex eorum genere, quæ Logici vocant, Sine quo non, propoſitionibus tuis ſuffulcire debueras. Nulla certior obſervatio, quam corruere & diſſolvi ea, quæ ſuperponuntur & inædificantur, ſi quæ ſubſtracta ſunt, ultro in ruinam ſolvantur. Debitum hic præſupponitur & ſpectans ad prædeceſſores Sabaudi Ducis facultas, undenam? Monſtratum jam pridem jus aliquod Sabaudis Ducibus quęri non potuiſſe per fæminas è Luſignana ſtirpe oriundas. Quæ de neglectis dicta ſunt, ad ſubjectum nobis thema ſi applicentur, non quadrant, inæqualia ſunt nec generaliter vera. Non potuit Regnum Cypri haberi niſi per inveſtituram Domini directi. Si majores petere inveſtituram neglexerunt, poſteris eos præjudicare tam notum eſt, quam quod notiſſimum, & ante ſuo loco à nobis monitum. Facit nempe neglectus ille ut directo Domino feudum aperiatur, & denuo pro lubitu de illo diſponendi facultatem ipſo facto confert. At vero neceſſe non eſt, ut eo uſque nos demittamus. Quid animi fuerit ſibi, ad ſatietatem Suldanus, ad ſatietatem Turcæ declararunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

rarunt, ab inveſtitis tributo ſine intercalatione ad extremum accepto.

Et quemadmodum anteceſſores Domini Ducis Sabaudi non potuiſſent donare, aut quovis modo alienare regni jura in præjudicium ſucceſſorum. Vera hæc itidem concluſio, ſed quæ in principio laboret ſuo. Non eſt hic alicui donationi aut alienationi locus, niſi terminus habilis aſſignetur. Is tunc dabitur, cum anteceſſores Domini Ducis jus regni Cyprii clarebit donando, alienandove in tertium tranſtuliſſe, eundemque tertium titulo donationis aut alienationis poſſediſſe vel poſſidere. Inde conſequens erit, id in ſucceſſorum præjudicium non quiviſſe ſubſiſtere. Nihil vero hic tale. Quicquid Venetis juris eſt fuitve, id omne à directo Domino profectum eſt, nullo Sabaudorum Ducum facto intermedio. Neque illud jus in ipſos neglectu tacitove aliquo facto derivatum, ſed publico illius decreto, penes quem erat ſummum jus & poteſtas abſolute ſumma. Neglectus inſuper præſcriptioni locum facit, facit caduco. Ponamus licet præſcriptionem ceſſare; confeſtim objici poterit caducum. Ac proinde utut donando, alienando præjudicii nihil potuerit creari, idem tamen de neglectu dici non poterit. Huc ſumma redit, ut de ſucceſſorum jure aut præjudicio agi poſſit, præmittendum atque inſerendum pro indubitato aliquod antecedentium jus, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

huc uſque in Sabaudo Duce fruſtra requirimus.

Itaque præjudicare potuerunt facultati atque utendi modo aut fruendi titulis, nomine, prærogativis Regalibus, quæ in conſequentiam titulorum ac jurium ad ipſos ſpectantium veniunt. Ad hoc ſtatim reſponſum.

Et quemadmodum alienatio jurium regni per contractum non permittitur, aut alium quemcumque modum: ita quoque non permittitur, ut quæ his ſimilia ſunt jura, ob negligentiam præſcribantur perdanturve. Ipſa ſiquidem præſcriptio alienatio eſt. Hic ſe palam adverſarius confundit. Ita de præſcriptione loquitur, ac ſi idem eſſet præſcriptio quod alienatio, & vice verſa. Juraque regni alienari haud poſſe quantum poteſt contendit, cum tamen ex adverſo velit Carolottam in Sabaudiæ Ducem non jura ad regnum Cyprium duntaxat, ſed ipſum quoque Regnum valide donaſſe. Nulla hic ratio diverſitatis occurrit, cur quæ in commercium cadere negat, quotieſcunque proficui quippiam pro Sabaudo Duce elici inde poſſe ſperatur, naturam mutare debeant. Niſi forte quid in regno Cypri à cæterorum regnorum conditione diverſum obtinere ſtatuendum eſt. Quod ſi ita ſe res habet, quæ cauſa, quæ ratio, cur id magis in favorem Ducis locum ſibi vindicet, quam aliorum, quorum titulus & titulum excipiens poſſeſſio in illius jure radices fixit, præter

quem

quem nemini ipſo invito jus aut fuit, aut eſſe potuit. Prodit utique haud nimis magnum J. C^{tum} ſe eſſe hic noſter, cum negat per neglectum regalia præſcribi, cum tamen centenaria præſcriptio adverſus ipſam Eccleſiam admittatur. Jura (ſiquæ fuerint) Carolottæ, ea è vivis ſublata Carolotta & ipſa eſſe deſiere, quod factum anno CIↃ CCCCLXXVI. decimo quarto Auguſti. Toti CL. anni interceſſere, quibus inveſtituram Dux Sabaudus petere neglexit, quibus omiſit Regium ſibi nomen aſſumere. Illud item verum ad introducendam vel impediendam præſcriptionem requiri poſſeſſionem, tanquam neceſſarium antecedens, eoque nullus hic à contractu aut præſcriptione Sabaudis metus, cum neque regnum ipſum, neque ullum regni jus (quod identidem repetendum) habuerint.

Quandoquidem igitur ad Dominum Ducem pervenêre & reperiuntur hodieque penes ipſum jura ad dictum regnum, quæ Carolottæ Reginæ competivêre, nec non anteceſſoribus ſuis, conſequens eſt & quos titulos, quæ nomina, quas prærogativas regales Carolotta ejuſque anteceſſores habuêre, ad ipſum perveniſſe. Nobis vero jamdudum nauſea ſubnaſcitur, quum toties dicendum eſt principium peti, eaque pro veris ſupponi, quæ controverſiæ ſtatum efformant. An lectori idem eveniat, neſcio; certe non auſim ſperare melius: quamquam haud dubitem hanc culpam non no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

bis, ſed adverſariis, cramben male coctam toties reponentibus imputatum iri. Nos negamus, aliquod antehac fuiſſe jus Carolottæ: & quæcunque illa pro ſe adducere potuit, quæcunque itidem pro fæminei ſexus ſucceſſione, ea dicimus ſupremi Judicis, quem tamen ipſa Carolotta cum Jacobo litem movente agnoſcebant, effato confoſſa & eliſa fuiſſe, decretis ſecundum maſculum ſexum vindiciis. Eoque cum nullum fæminei ſucceſſioni ſexus virente ullo maſculo patrocinium in allegatis rationibus pro ſe invenerit, nec fæminæ ſuccedere, quæ excluſa erat, Sabaudum Ducem potuiſſe ſentimus, quem de ſuo nihil juris prætereа prætendere poſſe conſtat, neque proinde eorum quæ deberi ſibi contendit, telam à jam terminatis ordiri æquum bonumque eſt. Falſum inquam dicimus diſertim inde jura Sabaudo Duci profluxiſſe, & ſublato antecedente nullum conſectarium ad vindicanda ſibi regalis dignitatis inſignia in ipſo admitti poſſe.

Et quemadmodum in cauſa principali atque antecedenti præjudicari ipſis non potuit, ita neque id fieri potuiſſe in iis quæ ſecuta ſunt. Reſpondi jam nunc cumulate: verbum non addo, præter hoc unum: Ducem Carolum Emanuelem Ducis hujus parentem, ut ut ſe Duce liber hic Bagnaſſaſci editus ſit, nunquam tamen argumenta ab eo adducta tanti feciſſe, ut iis vel

hilum

hilum deferendum putarit, nec regia hæc dignitatum nomina ſibi crediderit aſſumenda, ſive quod videret à vicinis Principibus ea parvi pendi ac contemptu tranſmitti, ſive quod judicaret infirma ea eſſe & fluxa, atque puerilibus aſſimulanda crepundiis. Atque hæc ad Bagnaſſaſci locum dicta ſunto.

CAP. XXIII.

Regum jus regna, quæ poſſident alii, in quibus ſucceſſionem ſibi deberi contendunt, titulo retinentium. Vt & Eccleſiæ Patriarchatus, quos de facto non tenet, ſibi ſuo jure vindicantis. Id ad Sabaudum Ducem male applicari demonſtratur.

AD Monodum revertor, qui ut omnes Ducis Sabaudi actiones & prætenſiones licet exemplis approbare nititur, negat mirum videri debere, quod Sabaudus Dux titulo tenus Rex Cypri haberi geſtiat, cum multos videamus eoſque potentiſſimos Reges, iſtorum Regnorum titulos ferre & ſervare, quæ neque poſſideant neque unquam poſſederint, ſed ad quæ duntaxat, quid ſibi juris obtendunt. Sed & hic non ſatis exactam comparationem vir bonus inſtituit. Reges id quod dicitur factitare, tralatitium eſt neque poteſt negari: non eo magis tamen hoc Sabaudus Dux jure imitabitur. Demus quæ à Regibus eum ad modum haberi conſuevêre, recte & ordine facta, qui non ſuo conſilio & lubitu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

hoc inſtituunt, ſed prædeceſſores ſuos ſequuntur: hærebit nihilo ſecius temerariæ novitatis labes penes Sabaudum. Fecerit hæc & his ſimilia Rex aliquis, qui jure ſe Regem fert, aut qui ſe in illius jus ſucceſſiſſe, qui verus & legitimus Rex quandoque fuerit, & regnum ipſum imperio ac ditione tenuerit, obtendit. Non cadit hoc in ejuſmodi perſonam experimentum, quę Rex fuit nunquam, quam declaratoria Judicis ſententia regali faſtigio ſummovit, quique hac de cauſa majus aſſerere ſibi jus nequeat, quam per anteceſſorem delatum eſt. Ipſe ſe refutat ſpecialibus, quæ proponit exemplis: ut Caroli Valeſii, qui nomine uxoris Catharinæ Courtenianæ, ad quam hæreditario jure Imperium Orientis ſpectabat, Imperatorem ſe indigitavit: quod & in illius poſteris obſervatum, cum tamen neque ipſe neque illi unquam imperium ut Imperatores poſſederint. Ut Andegavenſis Ludovici, illius nominis ſecundi, qui ejuſque poſteri ſcripſerint ſe Arragonum, Valentiæ, Balearium, Sardiniæ Reges, quamvis nulli poſſeſſioni inſiſterent. Ut Anglię Regum, qui annis ab hinc ducentis & quod excurrit, ſe ſcribant Franciæ Reges. Ita Hieroſolymitani Regni titulum apud Hungariæ, Poloniæ, Siciliæ, Neapoleos, Cypri Reges reperiri, qui tamen nunquam illud poſſederint. Regem Poloniæ vocari Regem Suecorum & magnum Moſchorum

Du-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Ducem; Hungariæ Regem ſe ſcribere Burgundiæ Ducem; Lotharingum Ducem ſcribere ſe Ducem Calabriæ: neque vitio id ipſis verti, quantumvis multum temporis certiſſimum ſit effluxiſſe, ex quo nemo de illorum anteceſſoribus iſtas ditiones poſſederit. Nimirum eâdem, qua incepimus, ſolutione defungemur, uno duntaxat addito, ipſum adverſarium diverſitatis rationem diſertim nobis ſuppeditare. Hi enim, quos enumeravit, tales ſunt ut jus eorum ac perſonas repræſentarint, qui alias in poſſeſſione enumeratarum poſſeſſionum fuêre conſtituti. Claret hoc ex hiſtoriis: quibus ſingulatim percenſendis ſuperſedeo ne noſtra ad tædium procudamus, claret ex ipſa adverſarii confeſſione; quando ait ſatis multũ temporis effluxiſſe, ex quo nemo ex ipſorum majoribus iſtas ditiones poſſederit. Unde conſit quandoque poſſediſſe, & à poſſeſſione jus eorum poſteros in ſe derivare. Nihil ergo cum his Sabaudo commune, qui neminem, quem quamve poſſeſſio tutari potuerit, repræſentat. Ad Carolottam refugium non patet ob cauſas jam dictas. Æque parum ad Annam, quæ ut regnum Cypri nunquam tenuit, ita neque tenere aut ſibi habere potuit, ut itidem ſupra ſumus exſecuti. Aut ſi omnino ad illas patere vult ſuffugium, ſtatim audiat, radicem infectam ſanos fructus producere non poſſe; ea infecta omnes actutum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ramos, omnes palmites noxium humorem haurire. Huc illa Abbatis ſpectant docentis in c. cauſam quæ, qui ſint fil. legit. *Quod ſiquis eſt excluſus, excluſi dicuntur omnes ab eo provenientes, tanquam ab infecta radice procedentes:* addito exemplo, quo non aliud noſtro caſui convenientius: *Quod ſi pater à ſucceſſione excludatur, excluduntur & omnes ex eo deſcendentes, quantumcunque legitime naſcantur.* Quod quia exemplis nimium odioſis, & quæ ſi huc citentur, amarulentiæ quippiam habere videri poſſint, DD. illuſtrant, ero jam memoratis contentus: neque quid adjungam præter hoc unum, quod cum de titulo quæſtio eſt, omnes dicant *quod habens titulum ab infecta radice, videlicet qui dare non poteſt, non poteſt habere fructus ex titulo*, quam regulam generalem vocat Decius. Conſil. 471. Alex. Conſ. 174. dicit impoſſibile eſſe aliter eſſe. Eadem reſponſio eſt ad argumentum, ab exemplo Eccleſiæ: Ait Eccleſiam Romanam Patriarchatus & Epiſcopatus in Orientales & Africanos ſibi titulotenus ſervare, utcunque aliquantis ſæculis orbata illis fuerit. Namque non vidit, ſi Eccleſia Romana ſedes illas quandoque ſub ſe habuit, & omnium Caput ac Princeps habita atque agnita eſt, jure illa ſervare, quorum jus quia ſemel habuit ipſi manet. Ea quæ ſemel legitime poſſideris, juſtoque titulo tua habueris, modo ne omnem omnino perſecutionis animum dimittas, erepta

pta ſerves ſemper, idque animo ſolo in vim injuſtam, in fraudes, dolos, rapinas non conſentiente. Eſt hæc Eccleſiæ, eſt Rerumpublicarum conditio, ut in ſpem æternitatis inſtitutæ, quæ ſua fuerint, animo nunquam amittant: ſed eodem ſemper animo complectantur, complexa cuſtodiant, cuſtodita ſic retinere exiſtimentur. Concludo ergo, & hic ut ſemper, noſtrum à ſeparatis argumentari.

CAP. XXIV.

Inepta adverſarii præmiſſis non probatis concluſio. Duces Sabaudiæ ſiquæ habuerunt regni Cyprii inſignia, de facto ſumpſerunt non de jure. Nec tamen coronam uſurparunt. Quare pars illorum non eſt argumentum vindicati Cyprii regni, cum & privati inſignia ejuſmodi ſæpe aſſumant. Honor Legatorum Regiorum apud Pontificem nec tribuitur nec competit Sabaudo. Tranſactio Carolottæ & Ludovici non potuit in præjudicium veri Domini jus regni transferre.

NUnc tanquam in catoptro nobis Monodus exhibet, quæ ſint illa quæ contendit Sabaudo Duci ratione Regni Cyprii deberi. Ea ſingula excutiamus. *Hinc*, ait ille, *debentur una cum titulo Regali Regia corona eundem ad modum, quo illam geſtare ſolebant Cyprii Reges; inſignia item Regni, quæ & de facto majores ſuo ſcuto ſemper inſeruerunt.* Non dicam ex præmiſſis non veris impoſſibile eſſe ut vera concluſio ſequatur: res manifeſta eſt, tædetque eadem toties reci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ciprocare. Nego titulos deberi; nego titulis non debitis inſignia regni ſic in ullam conſequentiam venire, ut tanquam debita vindicari haberive poſſint. Quæ ſequuntur, ſunt facti: nempe de facto majoribus Sabaudiæ Ducum ſcutis arma (ſic vocare liceat) Cyprii regni inſerta fuiſſe: ita fidem facere vetuſtas picturas, quarum nonnullas cauſſarum patronus Favinus ſe vidiſſe teſtetur: huic ſi tibicini inſiſtere parat, coronam neceſſe eſt projiciat. Ubi Favinus hæc quæ citat adverſarius recenſet, Coronæ non meminit: qui quam fuerit exactus earum rerum indagator, ipſum opus quovis teſtimonio præſtantius teſtimonium perhibeat. Prorſus nefas dubitare, ipſum qui ſingulas in Sabaudicis inſignibus mutationes, ſingula augmenta atque adeo decrementa una cum mutandi, augendi, contrahendi occaſionibus & cauſis quam curatiſſime enucleat, etiam Coronæ, ſiqua exſtitiſſet, mentionem fuiſſe facturum. Neque tamen Favini teſtimonio nimiam fidem adhiberi adverſarius velit: norunt hoc omnes qui Amedæi Pacifici hiſtoriam ſalutarunt, quod nobis indicaſſe ſuffecerit. Sed omiſſo Favino, quem nos ut pro ſe alleget æquiſſimis animis toleramus, dico non videre me è quo fonte negligentia hæc tam ſupina promanarit, ut vindicatis, tranſſumptis, inſertis ſcuto inſignibus regni Cyprii ipſe ille conus, apex ac colophon inſignium

gnium Regalis Corona aut prætermiſſa fuerit, aut in ſpongiam incubuerit? dico non videre me, cur fumoſis imaginibus relictis (ſi modo Corona illæ unquam fuerunt redimitæ) recentiores illæ Sabaudica inſignia, regalem coronam, ſpectatoribus non exhibeant? Ni fallor, inſignitum argumentum hinc deſumatur, & vera quæ dicit Favinus eſſe, & Sabaudum Ducem non judicaſſe olim talia ſibi ac tanta, quanta noſter cupit, deberi. Habuêre procul dubio omni ſcuta illa Cyprii regni inſignia, quatenus & ante Annam & ante Carolottam Cypriis matrimoniis domus Sabaudica fuit innexa: ſic nemine intercedente etiam vel coronam habuerint, niſi forte ea Sabaudiæ Duciſſarum fuit modeſtia, ut maritalibus inſignibus illuſtriora oſtentare noluerint. Poſtmodum cum nulla talis occaſio, ut hæc inſignibus ſuis inſerere jure poſſent, ſeſe præberet, mirum non eſt ſi intermiſerint. Ergo quæ fuerint regni Cyprii inſignia, vetuſtæ illæ picturæ demonſtrent: Nequaquam vero Sabaudum Ducem ea in ſe tranſtuliſſe atque habuiſſe pro ſuis, ex iſtis doceamur. Impræſentiarum vero, cur Sabaudiæ Dux Regali Corona ſua inſignia condecorare cum velit, neque eam talem effigiari curet qualis olim fuit Cypri Regum, neque etiam Regium nomen directo aſſumat, merito miremur. Neque adverſarius negaverit hoc, quod æri inſcul-

ſculpendum curavit ectypoma regalis coronæ, imperium eſſe fæcialium inventum. Sed ad argumentum. Ajo, multos privatos Regia inſignia ſibi vindicaſſe, nec ideò Reges haberi, nedum eſſe. Exemplo ſit illa, quæ in hac hiſtoriâ utramque paginam facit Cornelia ſive Cornara apud Venetos gens; in qua privatorum virtutes citra injuriam nemo laudet: adeo tota illa ad virtutem & patriæ amorem facta eſt. Ea inter cæteros ſuæ gentis agnoſcit fratrem Cypriæ reginæ, eoque Cypria inſignia pro gentilitiis hodieque circumfert; neque tamen id propter regnum illud, regium nomen, titulos, prærogativas regales ſibi deferendas vel per ſomnium jactavit. At inſpiciat hic in ſuum ipſius ſinum adverſarius; eone in Sereniſſimam Venetorum Rempublicam quid juris Sabaudo Duci, quod alas, quod os rictumque Marcii Leonis in inſignium ejus faſtigio ſupereminea nt? Scio, non dicet, eoque mecum, ſpero, agnoſcet ficulneum eſſe, quicquid inde adſtruendo dominii jure petetur. Hinc porro vult noſter, in actibus publicis coram Pontifice, Imperatore, Regibus Chriſtianis ſupra cæteros Ptincipes, qui ſint, próximo à primo gradu locum priorem deberi, inter ipſos autem Reges locum deberi, qui Cypriorum quondam Regum fuit, prout Judices ſolennium pomparum Romæ fuſius id exhibituri ſint. Mirum vero niſi capillum

pro-

promiſerit adverſarius & incipiat hariolari. Certe non niſi prophetico furore inſtinctus affirmare poteſt aliquid futurum, quod neque ullæ naturales, nec politicæ cauſſæ, ſigna prognoſtica pollicentur. Deberi ait locum Cypriorum Regum Sabaudo, & deberi ei omnino fore ut videatur Pontifici, Imperatori, Regibus. Næ hominem lynceum & prudentem, qui tantam ſuper re tanta maximorum nominum deciſionem tanto tempore antevideat. Meminerit nunc adverſarius, more ſolito Venetorum Rempublicam Auditorium Regium intrare, Ducem vero eo ſuum non admitti. Qui admiſſus nunquam fuit, ægre ne ferat. Nolim ei oculos dolere. Quod ad libros, quos Ceremoniales vocare liceat, provocat, parum ad rem. Verum eſt in iſtis libris Cypri Regibus inter Reges ſuum quoque locum aſſignatum fuiſſe. Sed de Sabaudis Ducibus quaſi ad quos Cyprii regni vel jus, vel poſſeſſio, vel nomen devolutum ſit, iiſdem in libris profundum ſilentium. Creditu pronum, hoc ipſo tempore locum ei ſuum inter Reges aſſignatum iri, cum juſto titulo regnum illud ſibi acquiſiviſſe ſe probaverit. Hinc vaticinatur porro, deberi hoc Sabaudicis legatis, ut inter Regios Legatos pari honoris gradu habeantur, quo capita (verba ipſius mutare non libet) coronata, Romæ præſertim, & quidem in Regio illo, de quo ſtatim,

au-

auditorio. Hoc ſi debitum debito poſcit noſter, næ ingratus Pontifex, næ ingrata eſt tota coronatorum capitum corona, quæ debitum neget. Si verum fateri non erubeſcit noſter, agnoſcet

nihil omnibus actum
Tantorum impenſis operum:

ac minimo minus convulnerabit illi quoque animum hoc indignabundi patris apud Poëtam,

Actorum ſine fine piget, ſine honore laborum.

Nempe liber hic ſeu diſcurſus Sabaudicus Romæ viſus, multis multorum manibus tritus, ſummo Pontifici exhibitus, commendatus, inculcatus poſtquam diu multumque fuit, id demum profectus ſenſerunt, qui volvebant hoc Siſyphi ſaxum, ut magno conatu nihil ſe promovere viderent, immoto ad has quiſquilias Pontificis animo, neque ullo Principum aſſenſum vel eminus præbere ſuſtinente. Sed hæc ſint fortaſſis odioſa quia vera: ideo tranſmittantur. Tandem quo ne bullatis nugis turgentem, ac bonitati lectoris illudentem contemptus in fine excipiat, aut quo ſaltim nonnihil egiſſe videatur, exemplum tranſactionis inter Carolottam & Ludovicum adducit, ut & illius donationis ac ceſſionis quo ipſa jure regni in favorem Caroli Nepotis decedit. Bene vero habet quod fatetur omne jus ſui Ducis in hac tranſactione, donatione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

& ceſſione fundari. Jam ante demonſtratum eſt, nihil iſtiuſmodi tranſactiones, donationes, jurium ceſſiones ad adipiſcenda regni jura tertio conferre. Quæ quidem utcunque attendi mereantur (quo nihil minus ſit æquum) nihil compendii tamen ex illis Sabaudo Duci enaſceretur. Quippe ſi temporum habenda ratio eſt, incidit hæc tranſactio in annum cIↃ CCCC LXII. donatio vero in annum cIↃ CCCC LXXXV. quibus nimirum temporibus illa jam tunc regno erat exacta. Quod ipſa etiam inſtrumenta clamant. Ita ut nos nulla hic probandi neceſſitas gravet. At nemo ſanæ rationi facile ſit probaturus, tranſigere Carolottam ſuper iſto regno potuiſſe, illudve donando aut cedendo in alium conferre, quod illa nec habebat nec habuerat unquam, nec ut habere poſſet ſpes ſuperabat. Jam totum triennium expirarat, & quod excurrit, inter ſententiam directi Domini, & eam quæ hic obtruditur tranſactionem. Id ita ſe habere conſtans annalium docet autoritas, & cumprimis Græcorum, quorum fidem extollit unice & ſequi rotundo ſe adverſarius ore edicit. Non vereor, ut à me certitudo hujus exigatur: confero itaque me ad ipſum inſtrumentum.

CAP. XXV.

De inſtrumentis tranſactionis & donationis Carolottæ. Regnum Cypri non fuit feudum Francum. Feuda ad ſolos maſculos tranſmittuntur, niſi expreſſe pro hæredibus maſculis & fœmellis obtenta ſint. Excluſio fœminarum in ſucceſſione feudi excludit etiam omnes ex fæminis deſcendentes.

INſtrumentum Carolottæ geminum eſt, prius tranſactionis, alterum donationis ſive ceſſionis: neutrum tale ut adverſarium in defendenda cauſa juvet. Tranſegiſſe, donaſſe, conceſſiſſe. At æque eſt in confeſſo Regnum Cypri feudum fuiſſe Mammeluchi, non feudum, quod nos vocamus Francum. Poſſint hæc ex hiſtoriis demonſtrari, ſed nequaquam id neceſſe, cum habeamus confitentem hæc ingenue adverſarium. Fatetur ille Regnum ſibi tributarium Sultanos feciſſe; fatetur quo tempore id ſibi tributarium fecere juramento utrimque innexos. Hinc Sultanos ut Dominos (neque enim aliter pote) inde Cyprios. Si quando tributarium factum ſit, quiſquam requirit, fatetur noſter Janum Cypri Regem, orto inter ipſum & Sultanum graviſſimo bello in captivitatem redactum, adactumque pro ſe & ſucceſſoribus ſuis tributum perpetuum promittere. Fatetur deinceps Jacobum, cum ſe ad Sultanum contuliſſet, eum Dominum, Patronum, atque in cauſa quæ inter ipſum & Ca-

Carolottam ſororem agitanda erat, Judicem agnoviſſe. Verba ipſa ſunt: *Tuum regnum eſt Cypri; ad te ſpectat definire & determinare quis regnare debeat.* Item non negat ante Gallorum in terram ſanctam appulſum Cyprios Sultanis ſemper paruiſſe. His ut quippiam contrarium dicerent Legati ad hanc cauſam miſſi nihil in mandatis habuêre, quantum ex adverſario colligere eſt, quinimo fatetur miſſos cum ampliſſimis muneribus & *ſolito tributo.* Hos Legatos in medio negotio cum peſtilentia abſumpſiſſet, teſtatur idem, denuo legationem adornaſſe Sabaudum, Petrum nempe Podocratorem, cui ſe item adjunxerint Legati Magni Melitenſium magiſtri. Horum verba recenſet, quæ mox citavi, nempe quo tempore tributarium reddiderint Cypri regnum Soldani, majores in legum regni ac receptarum conſuetudinum cuſtodiam juraſſe (quod ſcimus abſque reciproco ſubditorum jurejurando fieri non potuiſſe) adjungitque, Regem Ludoicum nequaquam debiti tributi ſolutionem ſtato ac præfinito die recuſaturum. Habuit ergo directum dominium Sultanus Ægypti, nec poteſt negari vaſallagium: neque fuit hoc vaſallagium comiter modo Majeſtatem agnoſcentis, qualium mentio eſt in l. non dubito. §. liber populus. ff. de captivis: ſed annexam habuit & tributi perſolvendi & jurisjurandi neceſſitatem, eoque appel-

P lari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

lari feudum Francum non poteſt. Hæc omnia cum ita ſe habeant, duo quæ jugulent Sabaudicam partem, inevitabiliter exinde ſequuntur: quorum prius eſt, Annæ & Carolottæ ad hoc Cypri regnum jus nullum eſſe potuiſſe: ſecundum, non potuiſſe illas quippiam juris tranſmiſiſſe. Carolottam quod attinet, hujus obtentum jus valide ſtatuminari credit noſter, eo quod patri hæres exſtiterit. Sed non animadvertit in feudis nomen hæredis ſolos maſculos complecti: & propterea feuda obtineri conſueviſſe (quomodo hic factum, nullatenus probabitur) ut pro hæredibus maſculis & fæminis concedantur, quorum hæ maſculis non exſtantibus ſint ſucceſſuræ. Ita in hanc rem deciſum ait Mynſing. Deciſ. 7. pag. 5. cujus hæc ſunt verba: *Si Vaſſallus filium & filiam reliquerit, ſolus filius feudum obtinebit, non etiam filia cum fratre: quia ipſa copula propter naturam feudi ſexum non conjungit; ſed magis ordinem inſinuat, ſicque potius in vim ordinis quam copulæ appoſita cenſetur. Fæmina autem per exiſtentem maſculum excluſa à feudi ſucceſſione in perpetuum excluſa remanebit, ne ulterius ipſa vel ejus liberi admittantur: quamobrem ſi filius ad quem feudum devolutum erat deceſſerit, ad Dominum, non ad ſororem ſuperſtitem, revertetur.* Longe ergo à ſucceſſione in hoc feudum Carolottæ nomen. quod feudum Francum, immo generaliter ne feudum quidem eſſe queat, ſi ea id ſucceſſio-

ne

ne tali ſortita eſſet. Si enim Carolotta hæres patri in hanc venire partem potuiſſet, ſervitium quod depenſo tributo præſtandum erat, ante omnia amoliendum foret, quod cum factu impoſſibile ſit, omne ſuccedendi jus procul habendum. Ita Rota Romana: in feudo Franco, in quo nullum ſervitium exhibendum eſt, ea in Lombardia exiſtit, ubi Domini illud exigere non conſueverunt, fæminæ ſuccedere poſſunt: Sed hoc feudum Francum non eſſe concluſum eſt. Quoniam in illius conceſſione nulla mentio facta fuit quod Francum exiſteret; item quia juramentum præſtitum fuit, Francum eſſe non poteſt: & licet ſit hæreditarium, tamen tunc in eo admittuntur, quando pro hæredibus utriuſque ſexus datum fuiſſet: quando vero pro accipiente & hæredibus ſimpliciter, fæminæ non ſuccedunt. Deciſio eſt ordine S. de feudis Jo. Mohedani. Noſtro caſu à directo Domino qui jure belli bello victor regnum ſuum fecerat, ſic regno redditus eſt prior Rex, ut ipſe ſolveret tributum, atque illius deinceps ſucceſſores, nulla fæminarum mentione facta, ut ex adverſario noſtro, cujus hæc ipſiſſima verba ſunt, compertiſſimum. At neque minus natura feudi ex æquo tum Annæ tum Carolottæ reſiſtit. Alienis verbis quandoquidem uti cœpi, pergam. Ita ex deciſione conſilii Cathaloniæ CXXII. Ludovicus Pignera, ubi de

capacitate fæminarum in ſucceſſione feudali: *Quilibet*, inquit, *Vaſallus Dominum in prælio exiſtentem juvare debet, quod mulieres non poſſunt, quia molles ſunt ad belli onera ſuſtinenda atque judicia diſcrete exercenda. Honeſtatis juſtitia non patitur, ut mulieres virorum ſexui ſe immiſceant, quia commixtio periculoſa eſt, ne milites, propter concupiſcentiam à militia divertantur. Vaſallus Dominum ſuum conſulere debet, ſed varium & mutabile ſemper fæmineum genus: illarum conſilium extremum exiſtit, audax; & ad omnia quæ amat vel odit fæmina, & vix pauca mulieri impoſsibilia invenies: ſecretum etiam quid tenere ignorant. His rationibus feudorum incapaces ſunt, ut ne teſtimonium quidem in eis ferre poſsint.* Hactenus ille, fęmineo ſexui parum æquus, quod nos in medio relinquemus. Quovis modo illud prius ex præmiſſa noſtra conſequens, ut videmus, indubii juris eſt. Nunc ſecundum in manus ſumamus, quod non minus liquidum quam illud præcedens eſſe facile judicatu eſt. Regula juris ſancit, neminem plus juris in alium transferre poſſe quam ipſe habeat. Atqui nullum jus qua Annæ, qua Carolottæ competiiſſe ad ſatietatem oſtenſum. Harum jus ab altiore exordio arceſſendum ſiquis velit, eoque ad domum Luſignanam prima principia producere, Jani ex eadem familia proſati factum, Soldani ſtipulatio, ejuſdem pro ſe ſucceſſoribuſque ſuis promiſſa obſtabunt. Ergo neque res quæ in-

integra jam eſſe deſiit, illuc regreſſum permittet, neque exſtinctum in perpetuum jus reviviſcit. l. qui res ſuas. §. qui aream. verſ. in perpetuum. ff. de ſolutionibus. Sin in ſucceſſionum jure conſiſtere malint, obſtat determinatio directi Domini quæ ſuccedendi incapaces voluit haberi. Ita Anna Sabaudico matrimonio juncta utut liberos tuliſſet, eoſque maſculos ſucceſſuros ſibi, nihil eis prodeſſet. In jure feudorum nihil explicatius quam excluſionem fæminarum à ſucceſſione feudi, excludere etiam deſcendentes ex fæminis, eodem jure & eadem forma qua fæminas excludit. c. 1. de gradib. ſucceſſ. in feud. idque optima ratione, quia nimirum ad feudum admitti non poſſunt, niſi ex jure & ex perſona fœminæ, & proinde quia eadem utrobique militat ratio, excludendi. Unde & recte Alexander ait, in ſucceſſionibus fœminam ſemel excluſam perpetuo eſſe excluſam, & ab ea deſcendentes, addita ratione: quia ſi linea non eſt ſucceſſibilis, omnes ex tali linea ſunt non ſucceſſibiles, & ideo ſi vitium eſt in tota linea, puta quod mater vel ſoror non ſuccedant, neque venientes ex matre vel ſorore eodem defectū laborantes ſuccedent, Alexander Conſ 229. nu. 7. & 75. in fine eod. lib. Et in terminis Baldus: *A quo removetur prius, removetur & poſterius, & ideo valet argumentum: pater non ſuccedit quia eſt remotior, ergo*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

nec deſcendens ex eo. Quando agitur de gradu computando à patre, & ideo patruus magnus ſi ſemel eſt excluſus, excluduntur etiam deſcendentes ex eo. Bald. Conſ. 258. Lib. 3. At quid autoritatibus opus in re clara & legum textibus firmata? Docuit id nos jam ante vox legis. Qui res. de ſolut. atque ipſo facto docet l. in quibus C. de ſecund. nupt. ſimpliciter excluſum, nunquam id juris reaſſumere, à quo ſemel fuerit excluſus. Ut jam nihil dicam de effectu ſententiæ, quam gemini plus ſæculi decurſus tranſmiſit in vim judicati. At neque ſæculorum decurſu hic opus. Rem judicatam ſufficiebat ipſa, de jure ſuo dubitandi, deliberandi anſam præciderat, jus in alterum tranſtulerat. Nullæ hic illius partes ſupererant, quam ſimili in caſu quæ ſunt omnium. *Omnes*, inquit Imperator Zeno in l. cum quærebatur C. unde vi. *ſcire debent hoc quod ſuum jus non eſt, ad alios omnibus modis pertinere.*

CAP. XXVI.

Carolottam de facto jus quod in Cypri Regnum prætendebat ad Sabaudiæ Duces non tranſmiſiſſe, tum quod una cum Iacobo Sententiæ Iudicis ſe ſubmittendo ei præjudicavit, tum ex verbis tranſlationis eam conditionem ponentibus, quæ in Sabaudis Ducibus exſiſtere non potuit, varie demonſtratur.

HIs expeditis, age, nunc tertium ſuccedat, & juris nihil de facto ad Sabaudum tranſmiſſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

miſſum eſſe oſtendamus. Certum eſt ex jam allegatis, utramque partem Jacobum puta & uxoris Carolottæ nomine Aloyſium, in Judicem eundem, Ægyptium nempe Sultanum conſenſiſſe, eumque adiiſſe, illum quidem ipſum, Sabaudum vero per legatos, qua ſuos, qua amicorum. Unde primũ hoc conſequens eſt, Sabaudum ſi ſibi illibatum ſucceſſionis jus conſtare credebat, judicem adire non debuiſſe; adeunti aleam judicii fuiſſe ſubeundam. Ita & de jure via facti tutus judiciariam adeundo ſibi nocet. Hinc Bald. ad l. 2. C. de ſervitut. & aqua. docet *quod adiens Iudicem pro revocatione precarii non poteſt propria autoritate expellere, quia quando aditus eſt Iudex, debet expectari illius autoritas, ne eluſorium ſit inchoatum judicium, eoque ad viam facti reverti non poteſt.* Quæ ſane locum habebunt in Judice non incompetente, qualem hic Sultanum Sabaudus agnovit; in Judice adito nulla proteſtatione præmiſſa, cujus nullum hic veſtigium; in Judice debite ac ſolenniter compellato, ut hic per legatos, quæ eſt conſentiens omnium qui hæc tractarunt doctrina. Vide Coſtam de facti ſcient. & ignorant. inſpect. 32. per tot. Ergo cum quaſi contraxiſſe manifeſtum ſit, & amputato regreſſu definitivam expectare debuiſſe, quin in illius tenorem conſentiendi neceſſitatem ſibi impoſuerint, dubitabit nemo, qui revolvit Judicem hunc fuiſſe, à quo provocare non

licuerit. Quum ergo contra Carolottam pro Jacobo pronunciatum fuit, certum eſt illico terminatiſſimum fuiſſe negotium, juxta l. 1. ff. de re judicat. ubi res judicata dicitur quæ finem controverſiarum pronuntiatione Judicis accepit. Hanc à directo Domino profectam ſententiam, neque Sabaudus neque Carolotta exire unquam poſſunt, eoque nec contra illam niti, ex quo ad ipſorum ſcientiam pervenit. Perveniſſe dubium non eſt. Quod non acquieviſſe eos quis excipiat, nihil agat; hoc facti eſt, facti propalam iniqui contra ſententiam ab ipſiſmet partibus expetitam directi. Acquieſcendum erat & ferendum imperium quod ſemel agnitum eſt. Poſtquam vero ipſorum ſpes cum re decollata fuêre, novum illico jus quæſitum iis, in quos directus Dominus inveſtituram voluit collatam filio, matri Cornariæ, Venetis. Quæcunque contra illos poſt latam ſententiam deſignata fuerunt, violenta fuêre, & pœnas legibus ſtatutas merentia. Ergo neque poſſeſſionem ullam obtendere Carolotta potuit, cui nullum ad poſſeſſionem quærendam juris adminiculum ſententia reliquerat. Siquid armis invaſit tenuitve (quod perexiguum utique fuit) id omne jus & æquum ei eripuit. Non permittunt ſacratiſſimæ leges alienas res vel poſſeſſiones per ſuam autoritatem uſurpare. Quinimo ſancit Imperator noſter

noſter talem poſſeſſorem ut prædonem intelligi, & generali juriſdictione eâ teneri quæ pro reſtituenda poſſeſſione contra hújuſmodi perſonas veteribus declarata ſunt legibus. l. cum quærebatur, C. unde vi. Accedit quod ipſum illud donationis inſtrumentum nequaquam purum eſt atque abſolutum, aut liberum pleni dominii jus in donatarium conferens, ſed appoſitæ conditioni alligatum. Verba ipſa inſtrumenti hoc clamant: Et quatenus requireretur alicujus ſuperioris conſenſus, propter cujus defectum præſens donatio ſeu contractus invalidaretur, annullaretur, aut alias fieret aliqua feudi apertura vel commiſſio, vult & expreſſe reſervat præfata Sereniſſima Regina, dictum conſenſum & beneplacitum, & ita illo reſervato præſentem donationem celebrat, & non aliter vel alio modo; ſed dictam donationem illo non interveniente vult eſſe reſolutam, & pro infecta habendam. Conditio hic talis ponitur, quæ contractum ab ipſa initum ſic ſuſpendit, ut ante illius exſiſtentiam nulla ſit obligatio contracta. Quinimo conditio quavis ſuſpenſione durior: in ſuſpenſis quippe ſpes eſt, quod differtur, aliquando debitum iri, quod hic quidem ne licet unquam ſperare. Conditio quæ non exſecutionem actus reſervat, ſed ipſam ſubſtantiam, talis denique conditio, quæ ab alieno arbitrio dependens extra illud nihil permittit in con-

tractus vindicari juris, nihil in alium transferri patitur. Verum quidem hoc, fruſtraneam fuiſſe iſtius conditionis adjectionem, quatenus jam tum lata fuerat à Suldano ſententia: Sed enimvero credibile, Carolottam à Sabaudicis perſuaſam, Sultano nihil juris competere, hæc cautelæ ergo tamen adjeciſſe. Si quid hic puri, unicum eſt illud, quod Suldanus invalidam eſſe donationem voluerit, quia ea commiſſa & omiſſa erant iſta, quæ feudum ipſe aperire ſibi perſuadebat: & quoniam Carolotta noluit exſecutionem habere, quo caſu Domini conſenſus abeſſet, etiam purificata illa conditio fuit: hinc Domino conſenſum adhibere negante, illius quia donatio (etiam quo caſu nulla penes Carolottam culpa reſideret) per hoc ipſum devenerat ad caſum impoſſibilem. Nec longis hic ambagibus opus; etiam minutiſſima voluntatis atteſtatio à Suldano profecta ſufficiebat ad conditionem hanc purificandam, arg. l. ſiquis hæredem. C. de inſtitut. & ſubſtit. & omnem donationi animam intercludendam. Quare dicendum, ex quo noluit Soldanus habere ſibi ut tributariam reginam Cypri, neque ipſam quid in Sabaudum Ducem tranſtuliſſe, neque Sabaudum poſt contrariæ mentis atteſtationem à Sultano factam ullo juris obtentu defendere poſſe, aut ſibi habere eo invito vel minimam regni laciniam. Ipſa vero Carolotta, ſi modo

ipſius

ipſius contractus æqua judicii lance trutinatus fuerit, quin apud ſe ſtatuerit, nullum ſibi jus in regnum Cypri ſupereſſe, dubium non eſt. Dicit: *quatenus requireretur alicujus ſuperioris autoritas.* Non utitur verbo indefinite conditionali *Si*, aut dubitate conditionali *Si forte*, ſed verbo reſolutivo ac reſolutive affirmante *Quatenus*. Id enim ſi accipiendum pro *Quouſque*, ut accipitur in l. grege. §. 2. ff. de pignor. & hypoth. jam non limitatam ſuperioris poteſtatem agnoviſſe dicenda eſt, utique non aliis terminis circumſcriptam, quam quibus circumſcribuntur illa, quæ nihil habent ſupra ſe, nihil æquale. Si autem accipiendum pro *Quamdiu*, aut *Vſque ad illud tempus*, ut accipitur §. item publ. cauſſ. Inſtit. de excuſ. Tut. vel Cur. prorſus dicendum eſt agnoviſſe eo ipſo Carolottam donationis à ſe faciendæ impedimentum perpetuum; quia perpetuum Superioritatis ac Subjectionis pactum Soldanum inter & Ianum Cyprium interceſſerat. Si denique accipiendum eſt pro *Quantum* aut *In quantum*, negari non poteſt illud Quatenus à jure ſuperioris pependiſſe: de quo dubitare ei qui tributarius eſt, qui re & facto Dominum agnoſcit, non permittitur. Quo demum cunque modo accipere libet hoc verbum *Quatenus*, firmum evadet nihil in Sabaudiæ Ducem fuiſſe tranſlatum. Id enim ſi conditionale facimus, conditionis erat ſuſpenſivæ, de qua

jam

jam egimus, ſi affirmativam vim directam in ſe continere dicimus, cauſa cadit; ſi dubitationi locum relinquimus, eo deveniendum erit ipſi, ut nihil ſe donatione iſta conſecutum fateri cogatur præter ſpem, debitum aliquando iri regnum Cypri vi ac virtute illius. Magnum interim hoc eſt, immo longe maximum, Carolottam quique ei à conſiliis fuêre, nec non illos quos ſibi fidos huic negotio Sabaudus admovit, pro vero atque indubio præſupponere, in Regnis tributariis transferendis, alienandis, donandis, cedendis requiri Superioris conſenſum, & defectu talis conſenſus contractum infirmandum, immo annullandum; & infirmato, annullatoque contractu, directo Domino feudum non modo apertum iri, verum etiam caſurum in commiſſum, ac proinde à ſe ut indigna auferendum. Quæ nobis huc uſque aſſerta, fidem nulli contradictioni obnoxiam conciliant. Hoc igitur thetice ſit dictum. Accedamus ad factum ipſum. Superior erat Soldanus, non conſenſit cauſa cognita: contrarium ut obtineret, decrevit; excluſa Carolotta, regnum de cujus donatione laboramus, ab ea abſtulit, ipſo facto in alium contulit: quæ decreverat, exſecutioni mandavit, quod contulerat, armis tutatus eſt: factam porro collationem in ſucceſſores illius cui contulerat, continuavit, mox quoque in alterum ſucceſſorem, cujus tan-

tandem ceſſionem Reipublicæ Venetæ factam non ipſe modo ratam & gratam habuit, quouſque Mameluchorum Regnum Turcici juris factum, ſed & Turca quoque donec anno cIↃ IↃ LXX. regnum illud armis injuſtis occupavit. Ex hiſce quid ſequatur, non opus eſt inculcato. Sed eo magis apparet Carolottam non credidiſſe, ſibi hoc jus donandi cedendique competere citra contradictionem, quod in ipſo contextu fecit inſeri: vult & expreſſe reſervat præfata Sereniſſima Regina dictum conſenſum & beneplacitum. Neq; hoc contenta dixiſſe, reſervationem geminat, & illo reſervato prædictam donationem celebrat; quoque enixiſſimæ voluntatis teſtationem omnibus exhibeat, ſubjungit: *& non aliter nec alio modo:* quoq; effectum juris apertiſſimæ per jam dicta voluntati accommodet; ſubdit: *ſed dictam donationem illo interveniente vult eſſe reſolutam & pro infecta habitam.* Cæterum vero non eſt quod magnopere circa hoc velle aut nolle Carolottæ diſtringamur: pone voluiſſe, nihil agit; noluiſſe, æque nihil agit; donaſſe, ceſſiſſe, minus etiamnum: Donavit aliena quoad Venetos jus habentes à directo Domino: quoad ipſum directum Dominum fruſtra factum fuiſſe dicendum eſt, quod factum non relevat. Et ipſi autem donanti & donatario liquere poterat, & cuivis etiam, nihil omnino relevaturum quod tentabatur, etſi factum

foret.

foret. vid. C. per tuas de Simon. l. hæc ſtipulatio. §. divus. ut leg. nom. cav. & ibi DD. Atque huc omni procul dubio ſpectavit illa tam anxie conceptis verbis facta reſervatio. Cujus ſi effectum attendimus, habet ea vim proteſtationis, qua ſe Carolotta contra ipſum Sabaudum ſalva velle indicat Superioris jura. Ita in caſu non diſſimili ac terminis adeoque fortioribus videmus, quod vendens prædium reſervata ſervitute, quæ debebatur agro Titii, operetur, ut ſervitus debeatur, ſi jure debetur. l. ſi in venditione, ff. commun. prædior. Utique ſtante hac reſervatione, tantum abeſt ut Sabaudiæ Dux perſuadere ſibi poſſit, jus illud, quod Sultano ceu Superiori competebat, aliqua ratione ſublatum eſſe, ut ex adverſo ſiquid contrarium aggrediatur (quod nunc noſter eum facere vult) habeatur pro non facto, ipſa nimirum reſervatione facti in contrariam reſolutionem atque annullationem introducente. Bart. in l. ille à quo. §. ſi de teſtamen. ff. ad S. C^tum^ Trebellian. Bald. in l. terminato. nu. 3. C. de fruct. & lit. expenſ. Ac noſtro hoc caſu, cum reſervantiæ hujus verba in contractu adeo ſint indefinita, ut nihil juris penes ſuperiorem reſidere poſſit, quod non ambitu ſuo complectantur, quin etiam latiſſime contra eos, quorum cauſa lucrativa vertitur, interpretanda ſint, dubium non eſt. Plane ſiquid juris ex hac donatione

Sa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Sabaudus admetiri geſtit ſibi, adverſus Carolottam donantem experiatur. Hic ſufficit, non momentaneam fuiſſe hanc Sultani mentis declarationem, ſed perpete continuatione de ſucceſſu perſonarum temporumque ſtabilitam: non tum modo exſtinctum Carolottæ jus cum cauſa cecidit, ſed & cum arma armis opponens aperto feudo & in commiſſum prolapſo ipſa quod in ſe fuit indignam ſe præſtitit, in quam id velut poſtliminio ſuperior conferret. Et ſic quoque certiſſimum, nihil in Sabaudum hac Carolottæ donatione juris ad Regnum Cypri fuiſſe tranſlatum, dum ne quidem hoc voluiſſe Carolotta evincitur, quod hic noſter quam maxime velit, atque uti vult, factum contendit. Siquid deſignatum fuit, ad nullum juris effectum perduci potuit, mala fide, ſpolio, felonia undiquaque commaculatum. Infelicem hanc Sardiniam ſe procari numquid Sabaudo Duci conſultum ſit, noſtra non attinet. Interea vere ſi baſis ac fundamentum eorum quæ obtendit, in hac Carolottæ qua tranſactione, qua donatione & jurium ceſſione conſiſtit, næ ab omnibus, qui hactenus dicta fugitivo modo oculo perſpexerint, ſi vel ſumma quæque ei concedantur, merito audiat, Reſoluto jure dantis, accipientis jus pariter reſolutum eſſe.

CAP.

CAP. XXVII.

Caſtigata fraus adverſarii latens ſub ἀκυρολογίᾳ, cum Sabaudum Ducem jubet reaſſumere titulum Regalem, quem nunquam habuit. Scomma obliquum in Sereniſſ. Rempub. Venetam reprehenſum.

SIc igitur excuſſo hoc argumento & confecto, quod à juribus ad Cyprium Regnum adverſario arceſſere collibitum, ſequamur alterum illius lemma, quod capite diſcurſus ſui quinto pro more varie tractat. Ait exemplo novitatum ab aliis Principibus perpetratarum Sereniſſimam Celſitudinem ſuam obligari, ut reaſſumat titulum Regalem. Statim hic illudit nobis argutus verborum captator voce reaſſumendi, quæ duo videtur innuere, nempe fuiſſe olim tempus quo Sabaudus Dux regales titulos aſſumpſerit, dein eoſdem illos omiſſos atque inſuper habitos quandoque aut quantiſper fuiſſe, & propterea ſi Dux eis titulis gaudere velit, velut olim omiſſos reaſſumendos eſſe. Atqui ſi humane & more ſolito loqui voluiſſet, & ita verbo reaſſumendi uti, jam ante monſtraſſe oportuerat, tempus illud quo Sabaudi Duces ſibi Regales titulos aſſumpſiſſent ut ſuos. Nam ſi ad Carolottam id refert, denuo in eam ſe naſſam induit, quam ſemel pervadere nequivit, & ſatis jam nunc ſuperque, ut confido, oſtenſum, quæcunque Carolottæ, ejuſque nomine atque ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

obtentu Sabaudus Dux ſic aucupatur, prorſus nulla fuiſſe atque irrita. Atque hæc de Carolotta dicta, graviore etiam ratione de Ludovico marito ejus dicuntur, quoniam ipſe ante uxorem ſupremum vitæ diem clauſit, neque Regnum unquam poſſedit, cujus nomine Regem ſe ferret. Uxor vero quæ ſperatis cupitiſque exciderat, nunquam, Regina ut appellaretur, jus habuit, aut ſiquis omnino aliquod habuiſſe velit (quod hactenus à me non impetro ut ſtatuam) fatendum non potuiſſe ei jus tale competere quod perſonam egrederetur, extinctaque proinde perſona, jus quoque extinctum. Si vero ad ipſos Sabaudiæ Duces id retulit, confutabit hominem fides veri, neque enim ulli annales reperiuntur, qui teſtentur Sabaudos Duces Regales titulos ut ſuos debitoſque vindicaſſe. Quid ergo de reaſſumendis titulis ſomniat? Aut ſi blandum hunc motæ mentis errorem ſibi non fert extorqueri, cauſſam ſodes edat, cur aſſumptos ſemel deinceps non retinuerint, de manu in manum, ſtirpe in ſtirpem non tranſmiſerint, ſed inſuper habitum, omiſſum, neglectum habuerint velut pro derelicto? Egregium vero illud & cedro dignum, quod ſtimulum reaſſumendi regalis tituli promit novitatem aliis Principibus occœptatam: quaſi illi quoque ejuſmodi titulos ſpretos & ignoratos ſero requirant, velut in muſtaceo laureolam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Quod ille apud Tacitum, Deorum injurias Diis, ait, curæ eſſe, de cæteris Principibus uſurpabo. Hic autem diſcurſus quandoquidem potiſſima ſui parte & ſane primario contra Sereniſſ. Rempublicam Venetam dirigitur, merito hic quoque objurgandus eſt nobis adverſarius, qui perperam contra bonam fidem contraque jus & æquum neſcio cujus ambitioſæ novitatis inſimulare eam Rempublicam auſit, fallit, criminatur, calumniatur. Nego diſertiſſime ejuſmodi novitatis quippiam à Sereniſſimà Repub. Veneta commiſſum fuiſſe. Si gladiis pugnare cupit, non volſellis, expediat oportet, quando novitas illa decreto introducta ſit: quandoquidem manifeſtum eſt abſque novo decreto nihil novi à Repub. fieri potuiſſe. Nullum inveniet vero, ac proinde hac in parte ab inaniloquio ſe non liberabit. Porro modo ad vetus illud Caſſianum, quo potiſſima humanarum actionum atque earum præcipue, quæ publicum regimen ſpectant, diriguntur, recurrat; non quæret illa ſibi hoc demum tempore aliquod Regni jus, Majeſtatem quam habet ac tuetur Deo proximam nova titulorum acceſſione non intendet: nihil inde publice ad illam privatimve compendii redundaturum ſit. Non hic eſt mos ejus, nubes captare & pulicum ſaltus metiri. Nihil ipſa unquam deberi ſibi contendit, aut hodieque deberi aſſeverat, quod
non

non quam pleniſſimo, quod non omni jure ad eam pertinuerit. Talem eam ac tantam, ſuis contentam, antiquitus poſſeſſa, propria, congenita tuentem novitatis ejuſmodi arguere, niſi prorſus hallucinor, inſignitæ eſt temeritatis. Da aliquem è miniſtris Reipublicæ hæc illave è ſolennibus cęremoniarum aliquanto impenſius urgere, promovere aut intendere voluiſſe; (quamquam neque id ipſum liquet) non ideo factum hoc erit Reipublicæ, locum perſonamque non excedet, toti Reipublicæ ut imputetur ipſo iniquo iniquius ſit. At vero adverſarius ſi domeſtica contemplari non dedignatur, & in iis, quæ à Venetis novo exemplo facta blaterat, Ducem ſuum quæque ipſe pro eo molitus eſt, examinare, nonne continuo iratis oculis conſpiciet, Sabaudiæ Ducem ſe hortatore, ſe autore, ſe ſolo ſibi atque in ſe conferente Regalem titulum uſurpare, inaudito in omne ævum exemplo, ſibi inſuper Regales prærogativas; quas quidem ei nullus, cui eas concedendi jus ſit ac poteſtas, conceſſerit, arrogare, Si rite, jure atque ordine id, quod ſibi deberi confidit, aſſequi cupiebat, agendum erat cum iis, quorum in illo negotio intereſſe vertebatur: eundem plane ad modum, quem noſter obſervatum ait aliquot ex ipſius majoribus, quos eo nomine à modeſtia laudat. Ille qui ex non rege Regem ſe facit, cum omnes orbis Chriſtiani

Megiſtanes proceresſque defectum juris ei opponant, & in os exprobrent, non novitatem modo ſed monſtrum, ſed portentum inducit.

CAP. XXVIII.

Æquitati quando contra ſolennia ſubveniendum. Nemo ſibi ipſe Iudex. Antiquarum & receptarum conſuetudinum jus. Novitas in præjudicium tertii excogitata receptam conſuetudinem loco movere nequit. In dignitatum titulis non minus quam in aliis rebus, non quid factum ſit, ſed quid fieri debuerit attendendum. Nemo tacendo videtur conſentire, ubi damnum ſuum vertitur.

IPſum caput quod inſigni Imperatoris Antonini effato orditur, recte facit. Omnino ita eſt: etſi nihil facile immutandum eſt ex ſolennibus, tamen ubi æquitas evidens poſcit, ſubveniendum eſt. At ſi inquiramus quando æquitas ſubveniri poſcat, tum id demum fieri dicemus, cum cauſa poſcendi ſe offert, quæ & juſta ſit & vera: quorum alterum ad æquitatem juris, alterum ad veritatem facti refertur. Secus qui ſtatuat, eadem ratione æquitatem ſibi quam velit fingat, ejuſque ſub prætextu legibus quantum lubeat illudat, contra manifeſtarias legum & juris rationes. Quod (abſit dicto invidia) non leviter hoc loco facit noſter. Major ejus propoſitio valeat. At quo tendit? Ut Sabaudus ſibi ipſi, quę nemo majorum unquam habuit, nemo mortalium à ſe habere po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

poteſt, omnium in injuriam & deſpectum largiatur. Ita enim ſi verum amamus, loquendum eſt. Minor ipſi haud dubie talis effingenda eſt, quæ ponit hanc Sabaudi Ducis intentionem æquitatem pro ſe habere evidentem. Quod ſi concedimus, næ delirarunt graviter Impp. Valens, Gratianus & Valentinianus, cum dixere, In re propria iniquum admodum eſſe licentiam alicui tribuere ſententiæ: perperamque generali lege decreverunt. Neminem ſibi eſſe Judicem, vel ſibi jus dicere debere. l. un. Cod. nequis in ſua cauſſa judicet vel jus dicat. Nemo ſe juris ſacerdotem (niſi reverendum Monodum excipimus) ferat, qui cum inter præcepta juris videt jus ſuum cuique tribuendi neceſſitatem, non animadvertat vix eſſe, ut tam juſtus ſit quiſquam ut conſtantem illam ac perpetuam ſuum cuique tribuendi voluntatem contra ſe velit exercere: aut qui non ſaltim in proprii commodi cauſa facile ſic imponi ſibi patiatur, ut propria in cauſa æquum & juſtum id eſſe putet quod in aliena iniquiſſimum fateretur. Ita natura comparatum eſt, ut ſibi quiſque faveat ac ſuis, etiam tum cum ſe id agere putat, ne contra juſtitiæ regulas ſibi favere velit. Eoque merito in neminem pronior ſuſpicio, quam quem credendum ſit aut verendum, proprii alicujus commodi gratia facile huc impelli, ut à conſtanti illa quam dicebam, ac perpetua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

voluntate ſuum cuique tribuendi devius feratur. Quæ quam conformia vero ſint, ſi in Sabaudi Ducis inſtitutum dicantur, non hic modo adverſarii diſcurſus, ſed uno ore omnes Regum aulæ, omnes conventus conſeſſuſque edicant, ac

Pueri ut taceant, jumenta loquantur.

At vero ut huic novitiæ novitati aliquam æquitatis ſpeciem accommodet, unum adducit: nempe, Brachia contra torrentem non eſſe intendenda, neque prudentis eſſe antiqua obſoleta mordicus retinere velle, cum recentiora probari ab omnibus animadvertat. Quod certe ipſius dictum nimis inſolenter venerandæ antiquitatis reverentiam verberare videtur. Quanto alter rectius: *Vetuſtas equidem*, inquit, *nobis ſemper adoranda eſt, ſi ſapimus. illa quippe ſæcula ſunt, quæ hoc imperium vel ſanguine vel ſudore pepererunt: quod non niſi virtutum faceret ubertas. Macrobius Satur. Lib.* III. Sane non unus Ariſtoteles Honorabiliſſimum quod antiquiſſimum, non unus Baſilius Venerabilius quodammodo in natura humana id quod antiquius eſſe dixere: ſed ab omni ævo laudem meruiſſe viſi, qui etiam minimis in rebus omnia antiquæ conſuetudinis momenta ſervarint, atque adeo in omnibus ſervandum fideliſſimæ vetuſtatis morem jura nos docent. Sed largiamur homini quod vult, non expediet ſe qui tantum ab initio tractatus ſui in vetuſtate

Sa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Sabaudicorum titulorum præſidii repoſuit, quin fateri cogatur, contra ipſum ſtare longi temporis conſuetudinem atque uſum diuturnum. Cum vero conſuetudo rationis interpres ſit, utpote quæ non magis ſine ratione eſſe poſſit quam ratio deſuetudine ulla abrogari; ut quod obtinere vult ferat, arduum ei vallum transſcendendum eſt. Præſertim cum in talibus ipſa conſuetudo jus faciat, & quidem hoc ipſo incunctabile, quia receptum & ab ipſa receptione notorium, nullius ſcripti indigum, ſua autoritate, ſua poteſtate cenſendum. Tenetur quoque arctiore modo noſter adverſarius, ſi dicere velimus, poſthabendam receptæ conſuetudini novitatem omnem quę in præjudicium tertii aut juris tertio quæſiti devergat. At vero negari non poteſt, quin talis hæc illa ſit, ad quam amplectendam Ducem ſuum non invitat modo, verum etiam obligatum eſſe nugatur. Venetos enim ſiquis Sabaudo opponat, Regium nomen Sereniſſ. Reipub. nemo neget, qui citra fœdiſſimam & geſtarum rerum & veritatis confuſionem titulum Ducali majorem Sabaudo attribuere non poſſit. Nec quiſquam ſanæ virtutis ac bonæ mentis candidatus prudentiam extollat, quæ juſtitiam quantum in ſe eſt profliget ac peſſundet. Cum vero hoc clare inſinuet, omnibus cæteris recentiora probari, nimirum cur non exprimat quos deſignet? ut & ipſi &

ipſorum dicta factaque ſub examen revocari poſſint; quatenus peccent, contrariis rationibus debilitari, convelli; quatenus æquitatem habeant, pro ſe mutuo, atque etiam pro Sabaudo Duce in argumentum trahi. Jam ante oſtendimus, quod ad Venetos, hæc admitti non poſſe: eoque Catone ſumus contenti. Neque erit qui falſa non credat hæc & veluti dicis modo cauſſa vagè atque indefinitè prolata, cum ubi ad ſpecialia deſcendendum eſt, inveniat à diverſa parte ſtare veritatem. In eo etiam manifeſte hallucinatur, quod in aliis quidem rebus inſpiciendum exiſtimet non quid factum ſit, ſed quid fieri debuerit; in dignitatum vero titulis velut diverſum: in quibus ut plurimum qui tempore prior eſt, potior ſit jure, ac ſibi damna imputare debeat, qui in ſuam perniciem geſta taciturnitate confirmavit; eoque melius ſit occurrere in tempore, quam poſt exitum vindicare. Quot effata, tot nævi. Non eſt cur aliud in dignitatum titulis, quam quod in cæteris, jus obtineat. Non eſt ut inde injuriarum naſcatur occaſio, unde jura naſcuntur. Sed videamus ipſius limitationes. *Hic*, inquit, *jure vincit ſæpe qui tempore*. Cur vero? *quia*, inquit, *in dignitatibus jus ex uſu ut plurimum deſumitur*. Enimvero hic invitis dentibus ei veritatem prorupiſſe mihi perſuaſiſſimum. Atque rurſum hic Sabaudum Venetis opponamus. Nulla ætas

Sa-

Sabaudum Regem agnovit: Veneti Reges fuêre ac pro talibus habiti jam ante aliquot ſæcula. Quinam ergo hic priores tempore? Sed tamen quomodo ſemper locus eſt illi, Qui prior tempore, potior jure? Eodem modo raptorem ſponſo præferat, vim moderamini inculpatæ tutelæ, Herculi Neſſum. At enim in illis quæ ſtatam ſemper cauſam habuere ac formam, alium prævenire qui ſtudet, quo temporis beneficio jure ſe potiorem reddat, nunquid merito dicendus eſt nova moliri? An non quemcunque id roges, ſtatim annuat? At ſequelam penſemus. Tali caſu punctum temporis per præventionem occupati præbebit novitati patrocinium contra mentem legiſlatoris, qui temporis diuturnitatem in prælationis materia favore dignam definit. Applicemus itidem ad Sabaudum. Is nempe ſuetos aliis debitoſque honores in ſe præter jus, fas, æquum, bonum exemplumque adeo omne avertendo, fiet hac ipſa occupatione præſtantior, atque à jure potior inſtructiorq; illis, quorum quæſitum jus, diuturnam poſſeſſionem, æſtimium nulli derogatum, nulli derogandum invadit, & quantum in ſe eſt pedibus calcat, ſibi inde è ruderibus illis perennius ære monumentum

Regalique ſitu Pyramidum altius,

ſi Diis placet, exſtructurus. Alia noſtro mens eſſe non poteſt, ſi axiomati ſuo, ſi adductæ à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſe rationi aſſenſum præberi deſiderat. Cæterum ita filia matrem pariet, & illa nova dignitatem indipiſcendi norma ſtabilem veteremque ac non luxandam evertat. Illud vero fateor equidem me non aſſequi quorſum tendat, quod infit ſibi imputari damnum debere, qui in perniciem ſuam geſta taciturnitate firmavit. Sane ſi in Venetos hæc diriguntur, quæ gentis cordata eſt & generoſa prudentia, facile animi morbo relinquent ulciſcendum hominem. Nulla hominum memoria Venetos adeo abjecti vidit animi, ut ſurgentem Sabaudiæ Comitum gloriam depreſſam voluerint. Immo ne nunc quidem poſtquam ad tantum, quantum tuetur, Sublimitatis gradum aſſurrexit, quempiam invenias, quem aut invidia eam ob rem tranſverſum agat, aut eorum quæ antecedunt non æqua ſpectatrix ambitio: ita ut plane ſupervacua cura ſit perniciem aliquam ſilentio augendam conſummandamque ab iſta parte ſibi imaginari, nedum timere. Non ut olim Amyclas ſilentium perdidit, ita Sabaudi quoque Ducis, quam nec habet, nec habuit, nec ſibi ſoli debere poteſt, dignitatem talis unquam taciturnitas eradicabit. At quid verbis nil niſi vanitatem arguentibus atque acto profunde ſulco hærentem ambitum multum inhæremus? immo vero quin inhæremus, tanto hominis noſtri metu ac ſi ad triarios res rediiſſet, extrema in tegula

gula

gula ſtaret, Hannibal eſſet ad portas: Ait enim melius eſſe in tempore occurrere quam poſt exitum vindicare. Oblique incedit quaſi cancer ſolet, ambages inexplicabiles loquitur. Ne eminus quidem video, qui myſteriorum interpres non ſum, quid hæc velint, cui quibuſve occurrendum ſit. Sane inſcitus eſt jaculator & longe à ſcopo deerrat, ſi in Rempublicam Venetam collineavit, quæ ſuo contenta, intraque ſuas metas collecta, nihil omnino ſibi à Duce expoſcit, quod eum gravare aut hujuſmodi metu percellere poſſit, ut occurrendi ſibi jure aut injuria neceſſitatem injectam credat. Occurrendi neceſſitate ſublata pariter evaneſcit præſumpta illa præteritorum malorum poſt exitum vindicandorum ſerotina medela. Atque hæc quidem de eo, quod in hac re facti ſit: nam ſi de jure ſit ſermo inſtituendus, merito hominis, qui hic juris peritum agit, in jure imperitiam taxemus. Naturalis ratio ſatis docet, Neminem tacendo conſentire, ubi damnum ſuum vertitur, l. non ſolum. ff. de procurat. Sed & Juriſperitorum nullus unquam dixit, eum qui ſciat ſuum ſibi jus durare, ſilentio ſuo malum acerſere ſibi; cum tali caſu ſilere aut non ſilere ex eorum claſſe ſit, quæ libere fiunt. In quaſcunque formas ſe vertat, elabi non poteſt. Sabaudus tale jus ſi habuit, quod ei hodieque reaſſumendi ſit facultas, idque ſuo, ut noſter

non

non ſemel, jure, nihil à ſilentio periculi, ſi nullum habuit habetve quod vero verius, clamet licet & mare cœlo confundat, nihil proficiet. At vero nulla hic ejus ſcientia eſt, quâ quidem didicerit aliquid contra jus ipſius attentari: nulla patientia, quæ injuriæ & machinationibus iniquis cujuſquam eum exponat. Eoque cum limitationes iſtæ quas de ſolemnibus, quæ mutari non debere agnoſcit, valere jubendis novum ſibi titulum aptaturus corraſit, nihil ipſum juvent; cumque eadem conditione ſit qua fuêre ejus majores; utique nulla ratio eſt, quæ ad nova conſilia eum impellat, neque eſt ut rerum innovandarum ab alienis exemplis prætextus emendicetur, cum nemo ſit in hunc uſque diem qui nova conſilia in ipſius detrimentum iniverit, nemo novas molitiones agitare ſe vel deſtinatione vel ullo præluſorio ſigno quovis modo oſtenderit.

CAP. XXIX.

Impudens adverſarii adulatio, qua poſteros Amedæi Viridis nulli Principi, nulli Reipublicæ loco deceſſiſſe ait, detecta. Catalogus Sabaudiæ Ducum è Papyro Maſſono.

IN altero hujus capitis themate adverſarius denuo Ducem ſuum ſtimulat exemplis, ſed domeſticis. Dicit, Duces Sabaudos novitatis inimicos ſemper fuiſſe, ſed retinendæ dignitatis ſtudioſos. Quod ubi firmavit citatis Ame-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Amedæo Caudato & Viride, in impudentiſſimo mendacio deſinit; aitque poſteros Amedæi Viridis ad illius exemplum ita ſe compoſuiſſe ut nullus Princeps, nulla Reſpublica ipſis de primo loco controverſiam movere ſuſtinuerit. Plane ſi hæc profecta eſſent ab homine notitiam ſui habente ac gradum, quem Sabaudi Duces in Imperio, in Italia quaquaverſum, atque ubivis gentium tenuerunt, largirer neminem fuiſſe qui ei de principe loco controverſiam moverit. Neque enim quis è primiceriis alicui medii ſubſellii de honoratiore loco dicam ſcribat. Verum cum erecto hæc nimis ſupercilio dicantur, iis deſpicatui habitis, quibus ut ſe potioribus ipſi deceſſerunt ſemper, ac decedere tenentur, ferendum non eſt. Ut interim candori, quem profiteor, ſuus conſtet tenor & veritati quæ debetur conſtantia, & ut ne quis livoris alicujus me merito inſimulet, continuata ſerie Sabaudiæ Duces Lectori exhibere, & quo loco habiti ſint, oſtendere eſt animus; idque non ex Hiſtoricorum hoc vel illo, cui aut odium aut malevolus animus aut partium ſtudium objectari poſſint; ſed ex Papyro Maſſono qui ex profeſſo deditaque opera non hiſtoriam ſcripſit Sabaudiæ Ducum, ſed elogia. Ut vero ſimile ſit ſicubi peccet, amore peccaturum magis ac ſtudio placendi quam ira aut odio, cujus cauſas longe habuiſſe nemo dubitet. Ille ergo exorſus

à Be-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

à Beraldo ſive Beroldo, quem noſter è Saxonica domo oriundum voluit, gentis Sabaudicæ primum, uſque ad Carolum Emanuelem Sereniſſimi Victorii patrem ſic paucis:

BERALDVS, nobiliſſimo apud Saxones loco natus (non dicit è gente Saxonica, ſed apud Saxones) conſentientibus poſtea Alpinis populis Manfredum Seguſii Machionem bello vicit. Urna ejus duas aquilas pro inſigni habet.

Obiter hoc interſpergam accedere à me dictis Maſſonum, cum exactam iſtis temporibus fidem veri haberi non poſſe indicavi. Ita enim ſcribit: *Boſo ſine liberis diſceßit, ut Sabaudienſium annales habent. Nec quærendam quam veri in tradenda Principum ſuorum origine. Cæterarum enim gentium Hiſtoriæ hac in parte fabuloſæ ſunt.* Item: *Plura quidem de eo* (Beraldo) *narrantur, quæ niſi excederent modum, fideque indigna viderentur, referenda putarem: ſed nolo fabulas rebus geſtis permiſcere, ne veram hiſtoriam narrationemque factorum, quæ mendaciis orbrui ſolet, quaſi veneno inficiam.* In vita Beraldi, & alibi paſſim.

UMBERTVS PRIMVS apud Saxones natus, patris imperium ſecutus eſt. Utque Beraldum patrem (verba Maſſonii) Boſoni Regi cui ſuberat, obſequium prçſtitiſſe narravimus, ſic Umbertum referre neceſſe eſt Rodolpho propinquo & ſucceſſori opus paruiſſe, ut *Comitem* decebat.

AME-

AMEDÆVS PRIMVS. Parebant imperio Rodulphi Umbertus & Amedæus, hic adhuc filius familias, uterque Comitis nomine & dignitate illuſtris, quodque diligenter notandum eſt, non Sabaudiæ neque Maurianæ, ſed ſimpliciter *Comites* appellabantur.

UMBERTVS SECVNDVS, Tarentaſios quod in confinio Maurianæ eſſent, ſuæ ditionis fecit. Brainſonum expugnavit.

AMEDÆVS SECVNDVS. Hunc Otto Friſingenſis Marchionem vocat. Petrus Cluniacenſis nobiliſſimum Principem, Comitem & Marchionem.

UMBERTVS TERTIVS. Inſcriptio illius eſt: Umbertus Comes Maurianenſis & Marchio Italiæ.

THOMAS PRIMVS. Sabaudiæ Comes. Ipſe ſe Dei gratia Comitem Maurianenſem, Italiæ Marchionem nuncupat & Comitem Italici limitis.

AMEDÆVS TERTIVS. Fiduciarius fuit Regis Angliæ, etiam Imperii. Sic Maſſonus: *Leonoram Raymundi Berengarii filiam in matrimonio habebat Henricus* III. *Angliæ Rex, quem Amedæus maxime diligebat, ut anno* CIↃ CC XLVI. *in manibus & coram Bonifacio Archiepiſcopo Cantuarienſi, & aliorum qui aderant conſanguineorum ſuorum fidem præſtaret (quam à facto hominis homagium vocant) ſe ſuoſque in poſterum ab illo Rege profecta eſſe feuda quædam, à fide ſic dicta, videlicet Se-*

gu-

guſium, Avellianam, Sancti Mauritii Chablaſii oppidum. Chablaſia non urbis nomen eſt, ſed regionis, in qua Iononium oppidum eminet, cujus Duces priuſquam Sabaudiæ dicti ſunt; Matthæus Hiſtoricus in Henrico III. ubi hoc Amedæi factum narravit, hæc pauciſſima addit; *Hoc quoque licenter ſalva fide ſua facere potuit, ſine Imperatoris injuria & Imperii mutilatione, cum nihil præter aquas & tranſitus teneat de Imperio.*

THOMAS SECVNDVS *Comes.*

LVDOVICVS VAVDIORVM Deſpota & utilis Dominus. Tumulus ejus vocatur ſepulchrum Principis Peloponneſi.

PETRVS RICHEMVNDIÆ Comes, Dumbarum poſſeſſorem ad obſequium & clientelam adduxit.

PHILIPPVS PRIMVS *Comes.*

BONIFACIVS. Captivus moritur.

AMEDÆVS QVARTVS. Sebuſianos uxorio jure ditioni adjungit. Publice rogatus ab iis (Rhodiis) ut pro aquila cujuſmodi nunc quoque Altacumbæ conſpicitur, argumento candidæ crucis velut auguſtiori uteretur; permiſſu Cæſaris ita fieri optavit. Illi imperio Comitis Sabaudiæ ſe obſequi prædicant, indeque & poſteri eo ſigno utuntur.

EDVARDVS.

AYMO.

AYMO SECVNDVS.

AMEDÆVS QVINTVS Inſtituit militarem

litarem ordinem equitum, ſtipendiarius Ducis Andegavenſis in bello Neapolitano, Comes Sabaudiæ.

AMEDÆVS SEXTVS, Dux primus vocatur Maſſono, quia ſic eum appellat Froſſardus Hiſtoricus, in Galliæ Archivis etiamnum Comes.

AMEDÆVS SEPTIMVS. Marchio Salaſſorum fiducias ei fecit ut Comiti Sabaudiæ: à Sigiſmundo vero Cæſare electo Dux Sabaudiæ dictus eſt VI. Idus Februarii anno cIↄ cccc XVI.

LVDOVICVS.

AMEDÆVS OCTAVUS.

PHILIBERTVS PRIMVS.

CAROLVS JOANNES. Ei fiduciarius Salaſſus cum Carolo Francorum Rege de finibus Sabaudiæ tranſegit.

CAROLVS JOHANNES AMEDÆVS.

PHILIPPVS SECVNDVS.

JOANNES PHILIBERTVS. Vicarius Imperii, qui honos à Carolo IV. & retro Cæſaribus collatus majoribus ejus fuerat.

CAROLVS TERTIVS.

EMANVEL PHILIBERTVS.

CAROLVS EMANVEL.

VICTORIVS AMEDÆVS.

Videt hic Lector decem & ſeptem Comites, titulo tenus primos illos ac ſine nomine, mox Marchionem unum aut alterum, littoris

Italici Comitem unum, unum dictum Moreæ ſeu Peloponneſi Principem; Duces etiam duodenos, ſed demum longe intra tertium ſæculum Duces, ab anno ſcilicet cIↃ CCCC XVI. omnes vidit fiduciarios Vaſallos: primos quidem originis incertos, extra patriam delatos, & ſubjectionis characterem ubique præ ſe ferentes; ſequentes fidei nexu qua Imperio, qua Britanniæ, ac poſtliminio tandem rurſum quoque Imperio innexos. Primum in Italia dignitatis locum tenentes ac tuentes cæteris à tergo relictis videt, ut verbo finiam, nullo negotio animadvertit non ex fumo lucem nobis dare, ſed fumum ex fulgore magnificas hyperbolas adverſarii.

CAP. XXX.

Bulla Benedicti Pontificis, quæ jubet in Coronatione Papæ, ſi unus modo Rex adſit, Sabaudum à ſiniſtra frenum equi tenere, non æquat eum Regibus. Contradictio & incogitantia adverſarii. Ratio probabilis ritus iſtius. Fides adverſarii in allegandis autoribus verbiſque eorum incognitis nec productis ſuſpecta.

RUrſum objicitur nobis nomen Pontificis, & profertur Benedicti Bulla anni cIↃ CCC XXXIX. qua ille declarat in coronatione Pontificum primum à Regibus locum deberi Duci Sabaudo, eoque ſi modo unicus Rex in ſolenni coronationis præſto ſit, ei ad ſiniſtram equum, cui inſidet creatus Pontifex Summus, du-

ducenti Sabaudum optionem locari. Verba ſunt: *Ipſum D. Papam cum de coronatione exibit, per frenum ducet Comes Sabaudiæ, niſi Reges alii fuerint eum ducentes. Vnico tamen Rege ad hoc præſente & ducente, idem D. Comes ab altero latere Papam ducere debebit.* Hinc antelatos cæteris Duces Sabaudos infert. Videndum quam bene. Hoc cum primis certiſſimum eſt, Breve hoc Pontificium efficere nequiviſſe, ut ſubito de non rege Rex evaſerit. Rex ſi jam tum erat Sabaudus, inſignis ei infertur injuria, qui ſibi æqualibus poſtponatur, ne regio quidem nomine dignus appellari habitus, neque alio quam Comitis nomine condecoratus ab eo, quem hoc egiſſe credi cupit, ut quam maxima Sabaudo Comiti deferrentur. Offert ſe deinde inſignis hoc loco adverſarii lapſus, quem utrum memoriæ defectui imputemus an veritatis, parum refert. Quæ in prioribus ſatis magnifice, ſatis large eſt proſecutus, eo ſpectarunt, ut etiam à conſuetudine Summorum Pontificum Regalium titulorum debitum poſteris præſcriberet. At vero Pontifex hic niſi Comitem non habet Sabaudum. Ergo aut vera non fuerunt illa, quæ nobis antea obtruſit, aut hoc ipſum Breve nullius eſt momenti. Decretum vero illud Pontificium, ut equum freno ducat Sabaudus, ſi modo unus Rex adſit, non hanc habet cauſam, quod cæteris anteponendus ſit aut aliis Megiſtanibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ac Dynaſtis ejus ordinis prior habeatur, ſed quod vicarius ſit Imperii, cujus dignitas efficit, ut ſi quando unicus modo Rex equum Summi Pontificis ducturus eſt, nihil inde querelarum naſci, neque quiſquis ille ſit Regum indignari poſſit, ſe ſolenni illa inaugurationis ſeu coronationis pompa cum inferiore, tamen vicario Imperii, compoſitum. Cujus rei evidentiſſimum eſt argumentum, quod cum plures Reges actui iſti interſunt, nullus ſit locus Duci Sabaudo. Neque vero exiſtimem eo vecordiæ prolapſurum noſtrum hominem, ut vel dicto innuat, eo caſu, quo Reges interfuerint, ac proinde nullæ ſint partes ſui Ducis, eum unquam cæteris ſe majoribus, ac, alios ut taceam, Venetorum Reipublicæ, prælatum de facto, aut de jure præferendum fuiſſe. Quod eo ſimplicius & affirmare & credere fas ſit, quia ipſum hoc equi ducendi officium, quod alibi Stratoris munus hic noſter appellat, tantum eſſe non poteſt, quantum hoc loco vult haberi. Eo ipſo tempore quo Amedæus Pacificus creatus fuit Pontifex ac coronatus, non Reges, non Duces, non Principes, non Regibus, Ducibus, Principibus æquandi equum ejus deduxere, ſed Marchio de Rothelem & Conradus Wynſbergh. Erat tamen præſens Dux Sabaudiæ, jam nunc paternam per ceſſionem Dux creatus: qui tam patri ad Pontificale culmen

men evecto hoc quicquid erat officii præſtare potuiſſet, quam eopſe die ſacris operanti patri publice miniſtrarat. Si tanta hæc prærogativa, vero non eſt ſimile, patrem, ambitionis immodicum, hanc filio ereptam voluiſſe: aut ut voluiſſet, filio hoc patris factum placiturum. Si tanta non eſt, neque etiam tanti ſit fueritve, eandem tanto cum paratu in depreſſionem aliorum Principum oſtentare. Vera autem eſſe hæc non diffitebitur adverſarius, cum agnoſcat ex ſcripto ejus, quod ſub nomine Hiſtoriographi regii lucem videt, ea nos edoctos. Res ipſa ad hæc loquitur, ſi maxime Benedictus Pontifex eximiam præ cæteris Sabaudi Ducis rationem habere voluiſſet, nihil inde cæterorum quæſito juri potuiſſe derogari. Quin etiam omnium temporum memoria receptique mores hic in partem ſunt vocandi. Revolvantur annales, & quæcunque privatim publiceque circa pomparum ſolennia collecta ſunt atque aſſervata; nunquam reperietur locus Sabaudo Duci inter Reges aſſignatus. Neque inficior multum in eo deſudare adverſarium, ut ex neſcio quibus ceremonialibus hoc libris probet, ſed quo ſucceſſu, judicet lector. Ait ſatis vetuſtos exſtare in bibliotheca Cardinalis Sarletti, unde hoc probari poſſit. Parum eſt appellare in talibus vetuſtatem & provocare ad teſtimonia illorum, qui ubi aut qui ſint aut quomodo quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

dixerint, dubitandum relinquas. Nomen ergo autoris editum oportebat, ejus authoritate fidem teſtimonio acquiri. Nam quod non contentus Vetuſtos dixiſſe Authenticos etiam vocat, novum dat impudentis audaciæ ſuæ ſpecimen, quaſi in publici juris controverſia publice probanda liber hic aut ille è forulis privatæ alicujus bibliothecæ erutus; authenticæ nomen mereatur; præſertim cum ipſum etiam authoris nomen in obſcuro ſit, & æque adverſario lateat ac omnibus, qui illum hæc ſtolide jactantem legunt. Quid quod neque ex his libris quos multos eoſque vetuſtos & authenticos in jam dicta bibliotheca vaticinatur reperiri, vel unicum adducit verbum ſive authenticum ſive non authenticum, cujus æſtimatione de ipſis illis ſcriptis aut illorum pro eo teſtimoniis judicium fieri poſſit? niſi fortaſſis hominem in tantis ſe poſitum ſententiis putavit, ut quæcunque effutire & in miſeram chartam conjicere placitum ei eſſet, ab omnibus pro oraculis haud dubie haberentur. Quod ſi ita eſt, ſciat graves arbitros non ita inſanire. Edico rotundo ore, non poſſe non vehementer ſuſpectas eſſe allegationes, quæ nihil dicunt in re ſeria magniq; momenti & iis explicandis, quæ certam ſemper formam habere debuerant; eoque dicuntur convelli non debere, immo neque poſſe. Quantum fidei deferendum ſit ſcripturis in archivo publico

blico

blico repertis., non me fugit, præſertim cum verſamur in antiquis, in quîs etiam privatis ſcripturis plus deferri ſcio quam privati aut privatim ſcribentis vulgo fides mereatur. At vero norunt mecum omnes, qui juri operam dedêre, nullatenus authenticæ etiam ſcripturæ inter privatos parietes repertæ fidem deferri conſueviſſe, idque optima ratione, quia vix poſſibile ſit, ut in quam authentici nomen non quadrat, fides cadat. Sapientius feciſſet ſuæque exiſtimationi & fidei conſuluiſſet impenſius, ſi J. C^tes^ imitatus ipſa loca, ipſos textus videndos expoſuiſſet.

CAP. XXXI.

Paridis de Graſſis, quem pro ſe allegat adverſarius, inſcitia & malignitas in ordine Ducibus aſſignando juxta meritum honoris. Dux Venetus, Mediolanenſis, Bavarus, Palatinus nunquam in ordine poſthabiti Sabaudo. Reſpublicæ liberæ Regibus pares. Veneti Ducis reſpectus & conſideratio duplex.

SEd vero ultro habemus quod deſideramus, affert volvenda pagina quod optandum prius erat nominatum teſtem Paridem de Graſſis, Julio quondam ſecundo Pontifici à Ceremoniarum ſolemnibus: è cujus diario videas Venetorum Duci Sabaudum antelatum, & ſeptimo quidem loco Sabaudum, Venetum nono in ordine Ducum numerari. Non hic dicam tanti apud me non eſſe Paris

dis de Graſſis autoritatem, ut eum autoris claſſici loco habendum exiſtimem, à cujus ſententia cum præfatione honoris ſit recedendum, ne teſtis quidem ullatenus idonei, nedum ejus teſtis, quem exceptio nulla repellat, numero ponendum ſtatuat ullus iſtius temporis haud prorſus ignarus. Norunt omnes, odio Vatiniano, aut ſiquod gravius, Julium Pontificem Venetos proſecutum. Affectus regentium manare in miniſtrorum vulgus, & ibi velut in ſpeculo reddi adeo tralatitium, ut judicarint mundanarum & aulicarum rerum veteres, facilius Soli fore ſtatos mutare curſus, quam Principi diſſimiles ſui miniſtros educere. Jam vero ordo ille à Paride conſtitutus manifeſte erroneus eſt. Locatur ibi poſt Sabaudum Dux Mediolanenſis, cum tamen certiſſimum ſit Mediolanenſem Sabaudo Duci nullo unquam tempore primas ceſſiſſe. Mox Mediolanenſem Ducem quod anteponit Veneto, inſulſiſſimum eſt. Relegantur & excutiantur omnia fœderum, contractuum, reconciliationum & quæcunque demum hujus generis exempla, conſtabit abſque ulla contradictione aut contradictionis umbra Mediolanenſem uſquequaque Venetis deceſſiſſe: neque unicum quavis occaſione, quovis ſeculo, quod huic adverſetur, poterit omnino exhiberi. Eadem de Bavaro dicta ſint, quem Venetis decedere debuiſſe etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

etiam invitum ſolenni Concilio teſtatum; eundem vero ut Sabaudo decedat, nulla ratione, nullis argumentis inducas. Palatinum non attingam, ſua cuique relicturus. Quamquam nec opus erat his allegatis. alia omittantur, ex uno diſce omnes. Errorum quippe ſine comparatione maximus eſt, quod in ſolennibus Venetorum Rempublicam, quæ neminem niſi Deum ſupra ſe habet, non inter Reges locet, ſed inter Duces, quorum nullus ita ſe abſolute ſummum ferre poſſit, ut ſe legibus ſolutum, abſolute ſummum, non niſi uni Deo obnoxium dicere audeat. Sed dandum hoc fortaſſis hominis ſtupori, qui ſi recte perſpectum habuiſſet illius aut ullius veræ Reipublicæ ſtatum, nequaquam tam fœdo errori ſe involviſſet. Aliud ipſa Reſpublica Venetorum eſt; aliud Dux Venetus. Caput Reipub. Venetæ Dux eſt, ſed non illius Rex: cum tamen non eo minus ipſa Reſpublica Regina ſit. Quantus quantus Dux eſt, legibus & vivit & ſubeſt: Reſpublica legibus vivit, non ſubeſt. Supra ſe Rempublicam Dux agnoſcit: Reſpublica neque ſupra ſe neque propter ſe quemquam. Reſpublica ſuæ Majeſtatis nec incurioſa nec oſtentatrix preſſis eam manibus in ſe atque intra ſe uſquedum habet, eoque multa ſupremæ poteſtatis inſignia (de externis hic ſermo) in Ducibus ſuis ſpectari non vult. Dux modo animata tantæ

Reipublicæ vox eſt, quam qui totam requirit, majore concilio abſolvi ex aſſe judicabit. At neque vere ipſius Ducis rationem habuit Paris de Graſſis. Is enim vel conſiderari poteſt, ut Reipublicæ Venetæ caput, qualem indies Venetis videndum ſe præbet, vel ut qui totam Reipublicæ Venetæ Majeſtatem repræſentet atque explicet: quo poſteriore caſu auguſtius ei jubar circumdari debere certum eſt. Atque hoc ſi attendere bono Paridi lubuiſſet, non fuiſſet utique in tam inſignitos errores prolapſurus. Multa hoc loco commemorare poſſem, quî teſtatiſſimum redderetur, Ducem quotieſcunque ipſam Reipub. Majeſtatem repræſentavit, non aliter habitum fuiſſe quam Regem, aut quomodo Reges aſſuevere. Sed non deſunt apud Hiſtoricos exempla, quæ à me privato lucubro congeſta intra Veſtæ penetralia ſervo, quę propediem cum bono Deo lucem videbunt peculiari noſtro de Ducibus Venetorum tractatu. Ubi rerum teſtimonia adſunt, non opus eſt verbis. Si non fuiſſet ſummo loco apud omnes Reſpublica, ſi non tali qui Reges juxta & deceret & æquaret, non fuiſſent totius Chriſtiani orbis Dynaſtæ tam prodigi ſuæ majeſtatis jurium, tam benigni in Venetos, ut æquali ſecum loco eos haberent. Non ita propitiæ Venetorum Reipublicæ jamdudum tempora fluxere, ut non in eam à vicinis exteris hoſtibus ſubinde arie-

tarint,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

tarint, quæ in prævalentes, aut quos prægravaturus ſit metus, hinc invidia, inde cupiditas, & ſuum cuique ſine reſpectu honeſti privatum commodum progignunt. Nihil tamen unquam Majeſtati ejus abraſum voluêre etiam infenſiſſimi hoſtes, quam agnoſcebant, cum potentiæ maxime inviderent, & totius in Reipublicæ internecionem male fœderata arma moverent. Omnia ut deſint, ſolum Reipublicæ nomen adverſarium confundat & imperitiam illi ſuam vel malitiam impingat. Quæ non minus hoc ipſo nomine ſui juris amittendi remittendive ἀνυπεύθυνος eſt quam Monarchia, quam ſtatus ille qui alternantibus imperandi parendique vicibus libertatem ſuam metitur. Non eſt alia diviſio formarum gubernandi, quam quod hæc ſit Monarchica, illa Polyarchica. Quæ Polyarchicæ ſunt, enumerari poſſunt, poſſunt Monarchicæ. Inter Polyarchicas ſemper non poſtremum, hoc ævo facile Principem locum obtinuit Venetorum Reſpub. Monarchicis interim nunquam eſt accenſita Sabaudia, nunquam ejus Duces Monarchæ dicti. Inter utrumque genus quod excellat (de Democratica non loquor) vexatiſſima huc uſque quæſtio eſt: quam ut nos ſcholæ relinquamus, nunquam ſummi Reges aliter acceperunt proprie dictas Reſpublicas, quam eadem ſecum Majeſtate, quæ ibi in uno eſt, hic in pluribus,

ribus,

ribus, conſpicuas. Illud præ cæteris eximium habet Venetorum Reſpublica, quod veram ibi πολιτείαν reperire ſit, à qua regiminis forma ſiqua dignitatis ejus acceſſio, quam neque captat neque aſpernatur, certe procul abeſt, ut ſe quiſquam è Ducum claſſe parem habere ſomniare auſit. Sed non opus eſt his aut ſimilibus operoſe conquiſitis. Jamque ad Ceremoniale Paridis reſponſum plus ſatis. Vt abſolvam, velim reſpondeat mihi adverſarius, cur tantum dignitati Sabaudi Ducis aſſerendæ fundamentum aut adverſarius hactenus in obſcuro deliteſcere ſit paſſus, aut Dux Sabaudus; ſi verum rebatur, inſuper id habendum putarit. Nam Ducem quidem deceſſiſſe ſua ſponte iis, quibus potior erat & prior in ordine cenſebatur, non habet ullam ſimilitudinem veri. Abfuit omnis externa vis, illata ab iis qui priores partes vindicantem, quæ deberentur, non tuliſſent: abfuit inſurgendi in eum cauſa, quippe qui non egrederetur modum ſuum, & ea, quæ non tam rogatione hujus Alexandri, quam vero inſitoque jure teneret, uſurparet. Dicendum ergo quod veritas eſt, hæc à ſolo Paride commenta eſſe, neque unquam aut aliis Principibus, aut ipſi Sabaudiæ Duci approbata. Atque etſi tandem invita veritate ponendum eſſet, VenetumDucem ceſſiſſe Sabaudo; ordo tamen inter Duces modo immutatus hoc pacto diceretur;
non

non inter Reges aut Regna, quæque Regnis accenſentur Reſpublicas non habentes ſuperiorem. In has harumve dignitatem nihil juris aut Summo Pontifici, aut mortalium ulli: ſibi ſtant, ſibi cadunt, ſibi principium motus debent, ſibi quietis. Extra ſe nihil vident, quod non ſit ſuum. Subjecto in themate quidquid eſt non ſuum, protinus eſt ſubalternum: & quatenus ſubalternum, eatenus nec ſuum.

CAP. XXXII.

Palpus inſignis adverſarii modeſtiam vocantis, quod erat neceſſitas, in Sabaudiæ Ducibus. Mediolanenſis Ducis dignitas ante & Comites & Duces Sabaudos. Mendacium de Amedæo, precibus Imperatoris inducto, ut pateretur ſe Ducem creari.

QUod illis eveniebat olim qui de virtute & moribus graviter locuti Bacchanalia vivebant, & cum Philoſophiæ maxime profeſſionem facerent, intercutibus ſcatebant vitiis, id nunc non obſcure deprehendas in hoc noſtro. Vbi præcipue explicabat ſe ambitio eo uſque prævalens, ut non modo laboraret improbe, ſed & quæſitis frueretur, ibi loquitur de modeſtia priſcorum Sabaudiæ Ducum: & quoties gradus dignitati eorum adjectus ſit, agnitum eum eſſe ab ipſis minimo minus reluctantibus, quovis modo non ſua ſponte. Quamdiu ſilemus? quamdiu patimur in toga ſaltantem perſona indutum eſſe? Primum ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

go quod adfertur, gradum ſuum tenuiſſe Sabaudiæ Comites, non negarim: ſed ſic retinuiſſe ut quamvis non niſi Comites eſſent, cæteros Italiæ Magnates dignitate anteirent, præciſè nego. Antequam è Germania Beroldus profugeret, Arelatenſi Regulo mercenarius, eos jam habebat Italia, quibuſcum ne nunc quidem comparari poſſe Sabaudiæ Duces conſpicamur. Nugæ maximæ ſunt, modeſtiæ illorum deputari, quod ea non egerint quæ non erant in eorum poteſtate. Non poterant titulum Regium cum titulo Comitis permutare. Nulla ergo hic modeſtia: niſi in Æſopica vulpe continentia prædicanda eſt, quę cum pyra decutere arbore non poſſet, immatura & acerba eſſe ferens abſtinebat. Quod ergo non mutarunt titulum Comitis, eadem ratione dici nequit in iiſdem fuiſſe odium novitatis. Neque enim credibile eſt iis, qui memores ſui Virtute duce, Comite fortuna, ad eximium dignitatis gradum ſurrexiſſe ſe videbant, ſed non invidendum illum, & plures ſupra ſe quam æquales ſpectabant & inferiores, in mentem veniſſe, ut velut per ſaltum in ſuprema conniti vellent, unde nullus niſi cadendo deſcenſus pateret. Si in Comitibus talibus ac tantis quales noſter depingit modeſtia fuit, cenſere prudentiam & odium novitatis debuiſſent, non appetere Regales titulos, cum tamen (ita fabulatur) omnibus

ante-

anteſtarent. Nonne hanc prudentiam in Sabaudiæ Duce (cui nihil majus largiri poſſis quam quod cæteris, ſi Diis placet, ſit præferendus, idque ſi habuerunt etiam olim Comites Sabaudiæ, nihil præ priſcis illis Comitibus ei largiendum reſtat) merito requiras? Plane ergo digneque adverſus ipſum antiquato majorum more, calcata modeſtia, nova, inaudita, impoſſibilia, injuſta captantem torqueas illud ipſi adverſario uſurpatum,

Si neque antiquos ſervas mores, aſt captas novos,
Omnibus amicis morbum tu incuties gravem.

Inde commendatam verecundiam Sabaudiæ Comitum illuſtriorem reddere geſtit contrario exemplo Ducis Mediolanenſis, cujus probrum cenſet centum & quinquaginta aureorum millibus Ducis titulum ſibi comparaſſe. Nemo non videt hoc aliovorſum à Mediolanenſi factum eſſe, quam ut eſſet cæteris ἀντάξιος. Si jam tum talis erat Amedæus Pacificus, nulla ei tituli vertendi cauſa, nulla ratio arbitrandi, penes Mediolani Ducem plus dignitatis quam penes Sabaudiæ Comitem reſidere poſſe. Temere Amedæum mutaſſe ac non omnibus ex amuſſim perpenſis, ne quidem hic noſter velit, qui eum ſui ſæculi Solomonem (quo nomine & apud alios laudari commeruit) indigetat. Si ergo mutandi neceſſitas fuit, non credidit ille quod Monodus, dignitatis eandem prærogativam, quæ penes

Duces

Duces reſideat, penes Comites reſidere poſſe. Utque exiſtimo videt hic, aut ſi non vult, videre cogitur adverſarius Regales illas prærogativas, quas tanto ornatu, tanto faſtu ac fiducia ſui Sabaudiæ Duci arrogare conatus eſt, nequaquam tales fuiſſe ac tantas, ut illum aut inter Duces aut præ Ducibus eximium reddere potuerint, nedum effectum dare ut pro Rege cenſeretur. Fatetur interveniſſe neceſſitatem creationis, ac niſi Dux creatus eſſet, ne Ducem quidem fieri potuiſſe. Mediolanenſem vero quod attinet, docent nos Hiſtoriæ Mediolanenſem quaquaverſum ſuperiorem ſeſe tuliſſe non Comite Sabaudo, ſed & Duce, ut qui tempore ipſum dignitateque ſuperaret. Quæ porro de Amedæo prædicat precibus Imperatoris Sigiſmundi donanti, ut Ducem ſe creari pateretur, omnino ridicula ſunt. Credidit, opinor, homo acutus fungos omnes futuros ac bliteos & blennos, quicunque iſta legerent. Scilicet intererat tanti Imperatoris, ut Vaſallo ſuo ſupplex ad genua accideret, eumque velatis manibus rogaret, ſineret modeſtiam ſuam expugnari, atque à Domino ſuo, cujus Vicarium ſe ferebat, ultro honoris augmentum offerente id accipere ne dedignaretur. Neque hic res, credo, Comitis Sabaudi vertebatur, cujus modeſtiam ipſo adverſario fatente Mediolanenſis jam dudum arrietarat ac flexerat, quique eundem duci in triumtriumtriumtrium-

triumphum difficilius concoquebat. Tam ſunt hæc à ſpecie veri aliena, ut proficiſci vix ab eo videantur poſſe, qui ſenſum habet communem. Nam ut perſuadeantur cuiquam ſano, nemo ſanus optarit. Nihil eſt quo hæc poſſint excuſari, niſi quod vehemens adulatio etiam nec opinantes cogat interdum abſurdiſſime mentiri. Si enim ſcriptus eſt liber, ut ipſe fatetur, expreſſo Ducis mandato, habuit procul dubio in promptu omnia & ſingula quibus argumentum, quod in manus ſumptum erat, conſtabiliret. At vero cum toti orbi notiſſimum ſit, Sigiſmundi Imperatoris beneficio Sabaudum è Comite Ducem creatum, cur hic ſilet, & qui minutias minutiſſimas quoquo modo ad hoc uſque ſectatur, captat, aucupatur, quin Cæſareum diploma repræſentat? Nimirum hoc illud eſſe poſſet, quod irrefragabili teſtimonio aſſenſum omnibus extorqueret, ac juberet ſtatuere, tantæ exiſtimationis fuiſſe Sabaudos Comites, ut Cæſareæ Majeſtatis apicem illis ſubmittere heros tantus non indecorum putarit: & quoniam inauditi res eſt exempli, non leviter dicta ab adverſario de pertinaci retentione prioris gradus prærogativæ à Sabaudis Comitibus facta firmaret. Cur enim alias Cæſar eo deſcendendum ſibi putaſſet, tanta præſertim Imperii (quæ nunc prorſus languet atque animam agit) ultra montes autoritate? jam non eſſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

quod de Mediolanenſis ambitu, de coëmpto tot aureorum millibus Ducali titulo, de expugnata Ducis ſui traduce illa & gentilitia modeſtia quiritaretur. Ipſa hercle illa omiſſio diplomatis Cæſarei arguit hominem vaniloquum, & quatenus veriſimilia ſpeciem falſi in ſe complectuntur, id agentem ut ſimpliciorum credulitati ſub tam ſpecioſis involucris citra falſi ſuſpicionem illudat. At norunt, quibus non omnis anima pro ſale data eſt, ex præteritis præſentia, ex præſentibus futura dimetiri. Non una exſtat inveſtitura Sabaudiæ Ducum: nullam ſit reperire, quæ non habeat preces ad directum Dominum, quibus ea petatur. Unde nihil quoque veroſimilius, quam ab initio etiam ab eodem precibus primam inveſtituram fuiſſe expetitam: neque enim ulla, ſaltim probabilis quæ ſit, inter primam & quæ ſubſecutæ ſunt, diverſitatis ratio occurrit. Illud vero extremæ impudentiæ eſt, quod ait ceſſiſſe precibus Imperatoris Sabaudum, uſus verbo, quo ramos arborum ſub nimio pondere incurvatos recte expreſſeris. Neque enim merito condonantem id alienis ſupplicationibus dicas ſe ipſum Ducem creaſſe, aut creare voluiſſe: cum tamen prodat noſter ea de cauſa Sabaudum ſemet ipſum ex Comite Ducem creaſſe, quia nollet ſibi prælatum Mediolanenſem. Quod ſi ita ſe res habet, nimio magis ſcire velim, quo modo precibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

cibus Imperatoriis ſe paſſus fuerit expugnari, ut in ſe hujuſmodi admitteret honorum prærogativas, à quibus jam tum privatim atque à ſemet ipſo longe eſſet inſtructiſſimus. Non opus erat ut Dux crearetur, qui jam tum, cum Comes modo eſſet, ipſos Reges dignitate æquabat. Si jam tum Allobrogum Reges erant, ſi Alpium Cottiarum, ſi Regni Idionici ipſius anteceſſores, non potuit ille Dux creari, quin inſignem velut capitis minutionem dignitas ejus & ſucceſſorum pateretur. Sane non cadant hæc & his gemina in ſui ſeculi Salomonem. Ante illius tempora intra modeſtiam ſteterat Sabaudorum Ducum velut infantia, creſcente paulatim & robur vireſque capiente dignitate: quæ jactare lacertos cœpit in Amedæo Pacifico & incrementa ſua circumſpicere, cum nimirum ipſe, ſi credimus Monodo in Baſileenſi Concilio ſui quantam decebat rationem voluerit haberi, ægreque tulerit ſuis cum legatis conferri Burgundos, quamvis nequaquam concederent illis, ſed à ſiniſtris æquali loco eſſent collocati: Quod auſpicale factum novelli Ducis miror cur non aliunde probet, non alio teſte communiat quam ſemet ipſo. Nolumus enim ignorare lectorem, eundem eſſe hunc noſtrum Monodum cum Hiſtoriographo Sereniſſimi Ducis, cujus autoritate ac fide ab ſe dicta confirmat. Quicquid ſit, ſi verum eſt, hæc ita geſta eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſileri potuiſſent melius, ut pote quæ collata prioribus manifeſtam denuo implicant contradictionem, & inſigne præbent documentum, falſitatem multiplicem niſi ab ſumma arte & ſubtiliſſimis ingeniis male connecti. Vidimus non hinc longe, ut tanquam è Jovis tabulis teſtem ſibi Paridem de Graſſis arceſſendum putavit. Hujus autoritati quod modo venerabundus aſſurrexit, quomodo nunc jure aſſeverat feciſſe Sabaudiæ Ducem, Burgundis Legatis περὶ προεδρείας certamen moventem: quem tamen dictus de Graſſis quinto demum loco ponit poſt Burgundos, Bavaro, Palatino, Saxone, Brandeburgenſi, Auſtriaco antelatis? Mirum etiam illud eſt, quod qui Baſileenſis Concilii recordatur, non etiam eorum, quæ ipſe ſcripſit, habeat memoriam: nempe ſolenni proteſtationis inſtrumento, cujus exemplum publici juris fecit, reperiri ingenuam Sabaudicorum Oratorum confeſſionem, qua edicunt Regibus ſuum Ducem, neque non illis Ducibus qui ſuo eum jure præcedere debeant, ac proinde ſe quoque libenter poſtponi. Mirum denique cur tam perfunctorie eorum quæ Baſileenſi Concilio acta mentionem fecerit, niſi forte noluit immodicæ ambitionis argui Amedæum, quem propalam redarguere cum non auſit, quæque culpanda in eo erant, laudare non poſſit, autoritatis retinendæ ſtudioſum ait exſti-

ſtitiſſe vel hoc ſaltim ſipario ea velaturus, quorum nomine ab Hiſtoricorum potiſſimis traducitur.

CAP. XXXIII.

Profeſſa adverſarii malignitas in Sereniſſimam Rempublicam Venetam. Suppoſititia Lipomanni Venetorum Legati ad Sabaudiæ Ducem Oratio. Sabaudiæ Duces militando pro Sereniſſima Republica non beneficium præſtiterunt aut auxilium ſociale, ſed operam locarunt mercenariam.

HIc demum ſoluto diſſimulantiæ oſcillo non ut hactenus indirecte ac per cuniculos, ſed aperte velut ex conſtituto in Rempub. Venetam incurrit, atque falſiſſimis depravatarum narrationum commentis eam onerat, ceu æmulam Sabaudicæ magnitudini, malignam, minorem, omniumque calculis ingrati condemnandam. Ab invito tamen in principiis expreſſit ſe veritas. Ait Venetam Rempublicam inter Chriſtiani orbis proceres nulli ſecundam. Placet. Sequitur ſtatim, maximi hanc ſemper feciſſe Sabaudos Duces, eique ſumma quæque detuliſſe: plena eſſe Hiſtoriarum monumenta, narrantium quam fœliciter ſæpius pro Venetis Sabaudi auxiliaria arma tulerint. Sed in primis fidem huic rei facere, quæ Hieronymus Lipomannus Reipublicæ Orator ad Sereniſſimum Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem in hanc ſententiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

explicuerit. Illum atteſtari petentibus auxilium Venetis Thomam Sabaudiæ Comitem eis in ſubſidium quatuor equitum millia, octo peditum adverſum Turcas eduxiſſe, ejus beneficio Venetis aſſertam Cretam, & Jaderam pariter, eorundem imperio reſtitutam. Sic ille quidem: ſed neque Maſſonus Sabaudorum Ducum encomiaſtes, neque Lambertus vander Burchius, qui ſubtili diligentia etiam minutiſſima conſectatus eſt, & data opera hoc unum agit, ut omnibus modis Sabaudicam domum attollat, horum ullo apice meminerunt. Ipſa vero quæ citatur Lipomanni relatio tota commentitia eſt, nullus unquam mortalium oſtendet, juſſu Patrum Venetorum eam factam: excutiantur omnia archiva, omnia grammatophylacea; non invenietur ullum veſtigium, quo habitam eſſe eam ſignificetur. Ut quam benigniſſime judicaverimus, non poteſt ea æſtimari niſi pro ingenii ludo, aut hujus illiuſve, qui lucellum aliquod inde ad ſe prolicere ſtuduit, officioſo mendacio, qualia multa indies protrudi in librarias tam crebro videmus, ut ipſa frequentia admirandi non minus quam excandeſcendi occaſionem conſumpſerit. Si quę Theſauro Politico continentur relationes, conferendæ ſunt cum authenticis quæ Sacris Scriniis ſervantur incluſæ, tot in illis omiſſa, tot detorta, tot infecta, tot præter verum adjuncta reperian-

riantur, ut citius Augię ſtabulum purgari poſſe merito exclames. Sed excuſet nos quoq; ipſorum Sabaudię Comitum, non minus luculenta iis temporibus conditio, ſi tam ampla atque auguſta ab iis ne quidem expectari, nedum præſtari potuiſſe credamus. Hoc vero quod adducit noſter, Marinum Venetorum Ducem Amedæo magno dediſſe, ut alis Marcii Leonis, atque ipſo etiam rictu inſignia ſua ornaret, omnino id quod agit evertit. Quippe ſi jam tum par erat Venetis Sabaudus, nihil profecto ipſius dignitati accedere iſto dono poterat, multo minus ſi ſuperior. Cum Corinthii Alexandro Macedoni Victori Orientis per Legatos gratularentur, & civitate illum ſua donaſſent, riſit Alexander hoc officii genus, antequam intelligeret, nulli peregrino Civitatem datam quam ipſi & Herculi. Sciunt omnes, iſta quæ jactat in Amedæo, non niſi à ſuperioribus conferri ſolere; inferiores eadem eximia tanto magis habere, quanto qui contulere prælustriores ſunt. Ipſa illa ergo inſignium ornamenta argumento ſunt, non poſſe à Sabaudis Ducibus ea oſtentari, quin & beneficium Venetorum oſtentent, & una ſe ab iis, qui ſuperiores ipſis, nedum quos æquent, beneficio affectos confiteantur. Ut ex adverſo etiam indignos ſe collatis beneficiis ingratoſque exhibeant, ſi quæ eos aliis & apud alios prælustriores reddiderunt, ſic ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

benda putent tanquam ipſis beneficii autoribus eorumque majeſtati ſint obfutura. Quod porro ait imperante Henrico VII. Amedæum Sabaudum ita ſe compoſuiſſe, ut ipſa Venetorum Reſpublica judicarit neceſſariam ſibi cum domo Sabaudica unionem atque amicitiam, non aſſequor quo tendat. Vidimus beneficiis affectos à Venetis Sabaudos: ubi beneficiis, ubi gratitudini locus, & ſuus utrimque honos habetur, ibi quoque reciprocum amandi redamandique ferrumen locum ut non vindicet, prodigio ſimile ſit. Cæterum vero cum prudentiſſimo inſtituto Venetorum Reſpublica belli Ducem ſciſcere ſoleat extraneum quem Comitem, Principem, Ducem, quem ampliſſimis donatum ſtipendiis adverſum fortuita ac ſubito incurrentia præſto habet, miretur nemo ſi Sabaudos Comites ac mox Duces vicinos ſibi, viros (fatendum quod res) magnos, ad magna natos, & per anguſta ad auguſta enitentes, conciliatos habere è publico ſuo bono prudenter autumavit. Pervolutentur omnes annales: nihil ultroneum invenias, nihil gratuitum, redhoſtimentum à Sabaudis partibus nullum, nihil privatim depenſum, quod non cum fœnore redditum ſit ac reſtitutum, ſic ut ad minimum

Par pari relatum, opera pro pecunia.

Cap.

CAP. XXXIV.

Triplex adverſarii mendacium in ornando Amedæo ſexto. Amedæus Inſulam Tenedon belli inter Venetos & Genuenſes cauſam non tenuit. Leges fœderis quo reconciliati bello ſublato Veneti & Genuenſes. Amedæus nulla Turcarum arma à Venetis prohibuit, nec ad Franciſci Carraræ factionem contra Venetos ſopiendam ſe interpoſuit.

AMedæum, quem Grandem appellat, excipit Amedæus Sextus, cui ob virentem corporis cultum, quo impenſius delectabatur, cognomen Viridis à ſuis datum. Hunc vellet bello Liguſtico à partibus multiplici hinc inde clade defatigatis pacis arbitrum ſumptum; Tenedon inſulam ei communi partium conſenſu ceſſiſſe, quam exinde contra Turcam defenderit. Falſiſſima omnia iterum præſtabit annalium memoria. Nunquam Tenedon, quicquid inter partes potuit convenire, habuit Sabaudus: nunquam illa ab eodem contra Turcam fuit defenſa, non probabit aut hujus aut illius aſſertionis veritatem noſter. Scio quidem hauſiſſe hæc ipſum ex vander Burchio, nupero admodum ſcriptore, cujus hæc verba: *Bellum quod tempeſtate hac inter Venetos Ligureſque ſeu Genuenſem populum, propter Tenedon Græci ſoli inſulam, infeſtiſſimis geſtum animis, Amedæi hujus ſingulari cura anno ex quo ultimo inter eos bellatum fuit ſexto, pace inter Provincias facta fuit ſublatum: Tenedoſque cum utriuſ-*

que gentis conſenſu Sabaudo ejuſque poſteris in perpetuum ceßit. Sed convincit vander Burchium fides veri, quam in apertum educere factu facillimum. Eo in medio relicto, an partibus Sabaudus ſe interpoſuerit nec ne, dico hoc actum fuiſſe inter partes, quod pacis leges, in quas utrimque deſcenſum, ſecum ferunt. Has ſi requirimus, omnes ad unum Hiſtorici conveniunt, placuiſſe arcem Tenedon everti, eaque ſublata tolli tam cruenti belli materiam quandoque (cujus acer metus) repullulaturam. Nullum hic Sabaudo negotium, niſi forte quod biennio intra quod arcem everſuros ſe Veneti ſpoponderant, penes Sabaudum ut ſequeſtrum depoſita eſt. Ita vero ſeſe res habuit: qui arci cum imperio præerat, Janus Mudatius ututpacis conditionum certus, nulla ratione, nullis argumentis perſuaderi ſibi paſſus eſt, ut imperio ejus decederet: ad poſtremum armis Venetis eo debellato in vires ſe ſuas fœdus aſſeruit. Ne quis hæc temere à me proferri credat, autores duos ἀξιοπίςους dabo, hunc Ligurem, illum Venetum. Prior Bizarrus eſt, poſterior Juſtinianus, uterque aſſerendæ & præjudicandæ Sabaudi Ducis virtuti pro ſe intentus: ita prorſus velit nolit autoritatem illorum ſpernere nullus poterit adverſarius. Sic ergo Bizarrus: *Diximus Venetos & Ligures in pacem multorum precibus, & autoritate tandem coiviſſe; inter quos omnium præſtan-*

ſtantiſsimus fuit Haymo Allobrogum & Salaſſorum Dux, à cujus arbitrio leges utrique genti præſcribendæ pendebant & ſtabant: inter quas hæ fuerunt præcipuæ. I. *Vt Ludovicus Pannoniæ Rex omnem Dalmatiæ oram Venetis ultro citroque negociorum cauſſa migrantibus tutam & ſecuram redderet, omnibuſque ſalinis obturatis ſalis conficiendi uſum in Dalmatiæ tractu prohiberet.* II. *Vt Veneti ipſi Regi quotannis ſeptem aureorum millia jure beneficiario penderent.* III. *Vt cum Aquilejenſi Patriarcha eædem conditiones in poſterum eſſent, quæ hactenus ante bellum cœptum exſtitiſſent.* IV. *Vt Genuenſibus ac Venetis integrum eſſet, quæcunque bona, prædas & manubias in bello cepiſſent, exceptis captivis, qui ſtatim utrimque liberi dimittendi eſſent, retinere.* V. *Vt Veneti caſtrum inſulæ Tenedos ab ipſis longa poſſeſsione uſurpatum, penitus demolirentur & ſolo æquarent, ſponſione per Florentinos ad hoc facta ad ſummam uſque ducentorum aureorum millium.* VI. *Vt Franciſcus Carrarius præſidia circa ſtagna fluminumque oſtia collocata & exiſtentia demoliretur, & Caput aggeris & Morentianum reſtitueret: Veneti vero è contra Curaniam turrim illi ſalvam & integram relinquerent.* VII. *Vt Albertus Eſtenſis eſſet finium, qui in diſceptationem & controverſiam venirent, juſtus arbiter.* VIII. *Vt Barnabas vice Comes, utrique parti multis nominibus ſuſpectus, ab hac pacificatione & concordia omnino excluderetur. Hæc fere fuerunt præcipua pacis capita, ſub quibus anno* CIↃ CCC LXXXI. *ac menſe Auguſto pax cum omnium congratulatione atq;*

fauſta acclamatione primo Savonæ Liguriæ oppido promulgata eſt, ac præconis voce ex publico ſuggeſto in curia recitata, anno fere ſexto ex quo bellum ipſum inter utramque gentem redintegratum fuerat. Cum autem poſtmodum à Veneto Prætore arx inſulæ Tenedos ad tempus conſtitutum minime (uti convenerant) dirueretur, & Ligures omnia bona Florentinorum, qui ſe ut dictum eſt prædes eo nomine conſtituerant, in ipſorum regione inventa detineri & aſſervari juſſiſſent, Veneti Zachariam Contarenum, Iohannem Gradenicum, & Michaelem Maurocenum, Andreæ Contareni in Principatu ſucceſſorem, qui deinde quarto menſe à ſuſcepta dignitate fato exſtinctus eſt, Genuam Legatos miſerunt, ut moram excuſarent, ac Senatum Genuenſem docerent, non culpa vel aliqua negligentia Senatus Veneti fieri, ut fides hac in parte minime liberaretur; ſed ſiquid eſſet quod poſſet jure imputari, culpam in ipſum Prætorem privatim recidere. Qua excuſatione ſatis plane & Florentinis negociatoribus priſtinæ libertati reſtitutis, boniſque redditis, parvo interjecto tempore Genuæ nunciatum eſt, prædictam arcem coram Reipublicæ Genuenſis procuratore, prout pactum erat, everſam ac funditus exciſam. Quæ ſane res modum retinendæ pacis non mediocriter adſtrinxit. Hæc ille: nunc & Juſtinianum adhibeamus: *Æquali itaque maris fortuna, Venetorum, Ligurum & ſociorum ad pacem Aymonis hortatu facilè animi inclinarunt, quæ his conditionibus ſecuta eſt: Vt captivi utrimque reſtituerentur; Patavinus Princeps Caput aggeris & Moren-*

rentianum oppida Veneto redderet, is turrim Corraniam Carrario; & è Tenedo militari præſidio abducto inſulam Dux Allobrogum ſuis armis biennium cuſtodiret; militique à Veneto & Ligure ſtipendium ſolveretur; biennio exacto arx dirueretur, ne amplius Venetus aut Ligur inſulam occuparet; ad Tanaimque interdicta utrique navigatio, qui locus ex veteri æmulatione rixarum inter ipſos ſæpe fomes fuerat. Florentinique ob id ducentis millibus vadati. Additumque his conditionibus quidam fuiſſe tradunt, ut decimo quoque anno ſeptem aureorum nummûm millia Veneti Ludovico Regi ſolverent, illeque ob id Dalmatiæ oram à piratarum incurſibus tutam redderet. Chinatum autem Tarviſinum, qui hoc bellum diligentiſſime ſcripſit, Sabellicus ait nullam prorſus de pecunia à Venetis Regi ſolvenda mentionem feciſſe. In pacis quoque conditionibus declaratum eſt, ut Targeſtum Patriarcha Aquileienſis, licet proditione amiſſum fuerat, retineret, & Veneti Catharum, quam urbem vera virtute & armis occupaſſent. Hunc finem habuit bellum hoc graviſſimum Genuenſe, utriuſque partis cladibus terra marique nobilitatum. Et paulo poſt: *At Veneti tanto defuncti bello, ne fidei publicæ deeſſent, Conſiliariis Paulo Mauroceno, Luca Gradonico, Andrea, Donato, Nic. Michaele, Fer. Bocholo, Ioanne Barbo, unaque rerum capitalium triumviris Ioanne Gradonico, And. Mauroceno & Blancho Hemo, legem ferentibus, ad triginta cives, qui medio ardore belli Rempublicam privatis opibus pie juverant, ad Patricium ordinem traduxere:*

re:

re: reliquis pecunia viritim diviſa ſatisfactum. Cæterum Tenedi reſtitutio Iohannis Mudatii præfecti pertinacia rem Venetam aliquamdiu ſolicitam habuit. Is enim à Panthaleone Barbo ad id miſſo Senatus nomine admonitus, ut arce excederet, eamque Aymonis Allobrogum Ducis nuntio juxta pacis conditiones quamprimum traderet, ſpretis Ducalibus mandatis inſulæ ſuis auſpiciis defendendæ contra qualiſcunque belli minas curam ſuſcipere, auſus eſt. Miſſa quoque alia legatione inexorabilis hominis animus nequaquam flecti potuit. Itaque rem armis gerere patres ſtatuerunt, hoſteque patriæ Mudatio judicato, in eum ſtatim claßis decernitur, cujus imperium Fantino Georgio, viro impigro datum eſt. Iſque celeriter movens ubi Tenedum venit, expoſitis in terram militibus, oppidum acri oppugnatione aggreditur, multique utrimque telis machiniſque bellicis lacerati periere. Tum manifeſte apparuit, non publicam quod Genuenſes ſuſpicati fuerant, ſed privatam Mudatii præfecti in retinenda inſula culpam eſſe, cujus unius temeritas hunc metum exciverat. Et quum per ſeptem & amplius menſes Tenedenſes obſeßi, deficiente commeatu in maximam rerum omnium inopiam incidiſſent, deditio tandem ab his facta eſt, Mudatioque & qui cum eo fuiſſent, venia data, atque omnia ex fœdere præſtita. Plurium in hanc rem autoritates cumulatum ire ſuperfluum ſit. Satis eſt ex hiſce docere nos, nulla Sabaudum arma explicuiſſe ad cuſtodiendum biennali ſpatio, ſicut fœderum tabulis convenerat, inſulæ caſtrum

ſive

ſive arcem. Juſtinianus certe non niſi Nuntii à Sabaudo miſſi meminit, magis dicis gratia, utque impletas fœderis leges teſtari poſſet, quam ulla magna de cauſa. Qui ne arma quidem moverit, is ut Turcarum incurſus retuderit & fortiter etiam, ut noſter dictat, ſummaque cum valentia, ridiculum; præſertim nulla accedente neceſſitate, nullo à Turcis metu, quantum ex annalibus conſtat. Illi utique Turcarum in dictam inſulam id temporis incurſionem, eorumque Sabaudicis potiſſimum auſpiciis ab eadem depulſionem ne quidem per umbram oſtendent. Quinimo ſi veritatem, ut par eſt, amplecti & ſectari cupimus, fatendum nec locum armis explicandis ullum fuiſſe. Deerant qui cuſtodirentur, cum habitatores iſtius inſulæ mitiſſimis Sereniſſimæ Reipublicæ imperiis aſſuefacti, aut Imperatori Græco aut ulli alteri ſe ſubmittere indignantes, ſedibus deſertis in Regnum Cretæ (quod Veneti dominii eſſe dicere non eſt neceſſe) conceſſerint, locum, nequaquam Dominum mutaturi. Revertamur ad Amedæum, quem magis magiſque attollens noſter diſſidium ait inter Venetos & Carrarienſes terminaſſe, adegiſſe Franciſcum Carraram, ut Tarviſii obſidionem ſolveret; Jacobum Cavallum Præfectum Venetum libertati redonaſſe. At quo autore hæc eduntur? nullo niſi pro omni autoritate has ipſas tam alie-

nas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

nas ab omni veritate aſſeverationes admittere velimus. Nunquam ea, quæ hic prorſus nullius frontis homo fingere audet, evenere: Nunquam ſoluta à Carrarienſi Tarviſii obſidio, ut de cæteris nihil dicam. Tarviſium ad Venetorum ditionem denuo redactum non Sabaudi opibus aut autoritate, ſed Galeatii Inſubrium Ducis armis ſocialibus: & redactum quidem ex fœdere, quod inter Galeatium, & Venetos, cum in Carrarienſem ſocia arma movere placuit, ictum fuerat. Carrario fatorum finem fecit inevitabilis ruina, & principatus injuſte atque impotenter habiti una cum opibus omnibus everſio, carcer denique, & filii ab omnibus deſtituti ad Robertum Bavarum fuga: qui tamen ipſe exinde armis Venetorum ſociorumque paterno Principatu potitus eſt. Adeat, cui libet aut otium eſt, quoſcunque harum Hiſtoriarum ſcriptores: nihil ex vero ejuſmodi ab adverſario dictum reperiet. Quare nos in ſuo luto hærentem, relinquamus.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

CAP. XXXV.

Amedæus VIII. *primus Dux Sabaudiæ. Ineptiſſimum adverſarii argumentum præferentis Amedæum Reipublicæ Venetæ, quod in fœderis tabulis nomen ejus priore loco poſitum eſſet, refutatur. Actus unus non inducit poſſeſſionem. Venetorum humanitas in honorandis exteris jus ipſorum non tollit. Alia huc pertinentia. Mendacium novum de latis ab hoc Amedæo auxiliis ad recuperandam* Brixiam. *Amedæi cum Sigiſmundo Imperatore negociatio, & hujus animus in Sereniſſimam Rempublicam.*

DUcit nos ordo ad Amedæum VIII. Primus hic nomen Sabaudorum procerum, quod huc uſque intra Comites ſubſiſtit Imperatorio beneficio cum Ducali mutavit. Noſter mirum niſi, ut una nocte nati fungi perfecti ſunt, ita etiam Ducem putavit ipſo nominis adepti momento, inque ictu velut oculi omnes etiam hujus nominis è ſublimi deſpicere poſſe, & ſine contradictione invadere primam ſedem, qui omnium ultimus advenit. Sed appendamus ad libram momenta rationum. Ait fœdere inter Venetos & Amedæum, quod incidit in annum cIↃ cccc xxvi. primas Amedæo aſſignatas fuiſſe: unde infert factum hoc demonſtraſſe, quid in præteritum obtinuerit, quid in futurum debuerit obtinere. Reſpondeo perinde hoc eſſe ac ſiquis velit, quia Rex Salomon matrem aliquid rogaturam ad dextram locavit, majorem ejus vim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

fuiſſe in regno quam ipſius Regis. Ipſum vero factum quod attinet, non prætermittenda ipſius adverſarii confeſſio, nempe fœdus hoc ictum fuiſſe Venetiis in Ducali palatio. Hoc unum ad rationem facti cognoſcendam ſufficit. Nihil tam frequens, ac tralatitium humanitatis lex inter gentes fecit quam ut domi quiſque ſuæ ſuperior honoris ergo etiam inferiorem ſibi antelocet. At vero ut juri ſuo deroget iſto nomine, nullus putet. Jam à teneris docemur honorem honorantis eſſe, non honorati. Inſaniat oportet, qui tantilla baſi quippiam addi demive coloſſo exiſtimet, puſillumve nani ſtatum vel maximo cothurno juvari. Siquid ipſi placet argumentari ab unico ejuſce generis actu ad poſſeſſionem, cujus nulla extrema probare potis eſt, ut cætera non tangam, ſaltim debet oſtendere hujuſmodi actum fuiſſe quem non expreſſerit familiaritas, aut ex eorum ſorte, quos ex agendi libertate facultates nuncupamus: ſed factum ita fuiſſe pro quæſito jure, ita ut ſine ejus detrimento aliter fieri nec potuerit nec debuerit. Non probet eo animo id Venetos feciſſe, ut ſuo προεδρείας jure calcato aut abdicato in Sabaudum mox inſultaturum ipſis conferrent. Non probet, hæc Sabaudum eo animo geſta crediziſſe aut eum in finem, nedum acceptaſſe, ut ſibi debitum aut deinceps etiam à nolentibus invitiſque pro debito exigendum.

Quod

Quod quantiſper non claret, quin etiam in præjudicialibus in integro res eſſe dicantur, extra dubium eſt. Præſertim ſi tales actus reperiantur eſſe qui partibus hinc inde conditionem ſtatus ſint mutaturi. l. liberos. C. de liberali cauſ. aut etiam tales qui circa ſubjectum dominium verſentur: qualis foret propudioſa illa ac Majeſtate tantæ Reipublicæ indigna conceſſio in Sabaudum, tot nominibus ſe inferiorem & uno gradu nunquam cum illa nominandum, nedum re vera componendum. v. l. 1. Cod. de hæred. inſtit. Eoque cum talis, qualis hic figuratur, actus naturali ſtatui ac veritati præjudicare non poſſit, omnino commenſurari potius debebit cauſæ ſuæ, quæ non fuit ullum Ducis jus, ſed mera Venetorum curialitas. Si renititur hic noſter, & nos quod maximum hic ſit, ei donare vult, nihil ferat præter hoc unum, potuiſſe nempe tum quantillo temporis in Duce ejus præ Venetis hoc actui aliquid eximii cenſeri; id vero ultra in præjudicium poſt futurorum nequiſſe prorogari. l. 12. de excuſ. tut. Evidentiſſime vero in eo hallucinatur, quod ex facto jus derivaturus jubet elici ex hoc ipſo actu quod in præteritum obtinuerit, circa has dignitatis prærogativas. Ratio eſt, quia neque actus hic ad id efficiendum habilis ſit, nec ipſe Sabaudus talis effectus capax illo ſeculo fuit aut hodieque habetur, quia juris diſpoſitio reſiſtit,

exactiora deſiderans, quod alibi copioſe tractatum prætereo. quia eo decurrendum eſſet, unde exordiri impoſſibile, & proinde nimio plus quam manifeſtariæ principii petitioni contra fidem veritatis, contra jus & æquum, non citra fædiſſimam prævaricationem indulgendum. Doceamur antelatum Venetis Sabaudum: erit exemplo uſus, ad minimum qualis qualis: niſi id è doctis audire hæc allegantem opus non eſt. Idem dictum eſto de ordine ad futura: quod enim tunc cum factum eſt, validum non fuit, tractu temporis non valeſcit, nedum ut non modo in ſubſtantiam ſui, ſed prędjudicium tertii quoq; juſtis viribus aſſurget. Ipſam utique rem excluſis præconceptę opinionis præjudiciis ſi ſpeculamur, exploſa tam futili ratione occurrat ſtatim, hunc ordinem quem tanto faſtu jactat, nequaquam pro forma datum, & ideo neque in ipſius prærogativæ exiſtentiam ſe inſinuare. Occurrat non eſſe hunc Ordinem realem, quo vitiato ipſe actus ilico vitietur, ſed mere verbalem, quem captare eorum ſit, qui præterfluentem aërem hauriant reti. Cumque magnam ejus rationem duxerimus, occurrat confeſtim etiam tum cum attenditur talem præſumi rem ipſam atque illius ordinem, qualis ſui natura, qualis æqui & boni reſpectu habito eſſe debeat. vid. l. talem. l. ſiquis ita ſubſtitutus. ff. de hæred. inſtituend. tenendum-

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

que ſcripturæ & eloquiorum ordinem intervertere non poſſe ordinem juris: ſed ex adverſo ordinem illum (modo enim ſubſiſtere velis) ad normam juris accommodari & applicari debere. Hoc ni fiat, evanidum illum eſſe ac umbra leviorem. l. in iis vero: §. ult. ff. de ſolut. in arduis præſertim, & à quibus oneroſum aliquod nedum haud reparabile gravamen quandoque metuatur. & vel tum cum ſpecioſum velum de partium certa ſcientia ac conſenſu obtenditur. Dubium non eſt, quin multa poſſideat Venetorum Reſpublica, quæ ipſum nunc illius Dominum congerie quadam conſtituentia, etiamſi ſeparatim haberentur, ſuo jure Sabaudo Duce eos facerent anteferendos: dubium non eſt, quin illud prælationis jus publicum ſit. Hinc in ſucceſſorum, in ſubditorum ac ſociorum fraudem ne quidem publicitus quid fieri poſſe omnes clament. Detur vero publicitus fieri poſſe; valebit id in vim pacti, non autem in vim ſententiæ. Nugatur quippe adverſarius, qui hæc ita oſtentet, quaſi omnino exiſtimanda ſint in vim judicati tranſiiſſe. Si ergo intra nudi pacti concellos cogendum (ut omnino cogendum) id quodcunque tum temporis actum fuit, exerceat ſe in iſta area quantum lubet. Sapientibus ſuffecerit, tum demum J. C^tos^ conſueſſe ex ordinis ratione prærogativam dimetiri, cum ex iis quæ vel anteceſſere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

vel ordinem iſtum excepere, contrarium deſumi non poteſt; aut ſi hoc dubium ſit, quando aliter deciſum non eſt, noſtro in ſubjecto quo loco Venetorum res, quo loco Sabaudi ſint, nemo neſcit, eoque hæc aut his ſimilia inter ſe conferre: aut ſenſum legum & ſententias J. C. dictorum pro adverſario ad materiam propoſitam applicare nos vetant omnia monumenta priſca, medii ævi, recentia: vetat conſcientia orbis Chriſtiani, Venetos Sabaudo citra ullam dubitandi aleam & uſquedum & quaquaverſum antehabentis. Puerile eſt quod Sabaudum ait Principem vocatum eo fœdere, & Ducem ſimul, Veneto autem ſolum Ducis nomen fuiſſe tributum. Si æque ſolidos dignitatum titulos ac Sereniſſ. Venetorum Reſpublica Dux ille poſſideret, nequaquam tam multus eſſet in captandis hiſce inanibus & crepitaculis. Siquis galeritam appellet galeritam & ſimul volucrem, aquilam vero tantum nomine ſuo, num ideo imminuerit decus reginæ avium, fulminum Jovis geſtatricis? aut galeritam propterea aquilæ inſultantem ferat? Ut ſemel regiminis ſui normam adſtrinxit, & ad ſtabilem tenorem conformavit, ex eo modeſtiſſimæ gravitatis conſtantiſſima eſt ſervatrix iſta Reſpublica, nec unquam inſtar infidæ novercæ, aut corporis membra ſua debilitantis detraxit honorem capiti ſuo, quem peregrino contribueret. Sed de illis

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

quæ huc pertinerent, ſuis jam ante locis affatim: eoque ventoſo faſce ſuſpirantem adverſarium tanto magis æquum eſt haud morari, quanto altiore animo Sereniſſima Reſpublica ad nominis ſui Majeſtatem non perventuros contemptus, ultro proculcat & contemnit.

In Tauros Libyci fremunt leones:
Non ſunt papilionibus moleſti.

Progreditur interim noſter ad auxilia majora, quæ pro fœdere ab Amedæo Venetis lata commemorat, illorumque beneficio ac virtute reciperatam Venetæ rei Brixiam. Quod quorſum faciat in hoc loco adeo hebes ſum ut non intelligam: nihil quippe προεδρείας jus juvatur: nec tamen hic contigit ipſi verum dicere. Nam cum in Philippum Veneti movere inciperent ex fœdere cum Florentinis inito, ſtatim ab illis Brixia fuit non tentata modo (quod ſucceſſum minus faventem habuit) verum ipſis belli primitiis occupata: virtute quidem Carmaniolæ, ſed præcipuè civium eximio ſtudio erga Venetum nomen, atque odio Petri & Achillis Avogarorum (hi adverſæ factionis Principes) in Philippum. Sero demum publicato cum Florentinis Venetorum fœdere una cum Alphonſo Arragonum Rege, Eſtenſi, Gonzaga ac Senenſibus novam hanc ſocietatem Amedæus ſecutus eſt. Socia cum cæteris arma jungenti ſuus etiam, ac victoriis honos, ſed ſuus,

— modo ne communia ſolus
Occupet & meritos ſociis quoque linquat honores:
Cum fœderati Brixiæ exercitum admoverent ex fœdere, arx ſola reſtabat, arcta jam nunc obſidione preſſa & adempta obſeſſis à ſuperiore loco in ſubjectam urbem licentia. Nullius è ſociis hic præ cæteris permagnæ vires narrantur: clarum modo Venetorum nomen ipſi hoſti ut inviſum, item ex invidia ludibrio habitum. Veneti namque cum Nicolai Tollentinatis conſilio vallum, quod ad tria paſſuum millia porrigebatur, exſtruxiſſent, & ſtupendis plane munimentis, foſſis, turribus atque objectis aggeribus roboraſſent, eaque ad hoſtes fama perlata eſſet, dixiſſe fertur: Nihil magis à Deo immortali precandum fuiſſe, quam ut Veneti hujuſmodi rei aggrediendæ libidine tenerentur, quæ non Venetas ſolum opes, ſed Xerxis quoque & Crœſi prius abſumeret, quam ad conſummationem perduci poſſet. Sabaudi vero Amedæi res potentiores, & velut illo fœdere ſuperiores quod deprædicat, perinde ac ſi eis ceſſiſſet Philippus Inſubrium Dux, Brixia Venetis relicta, Vercellis invicem ipſi Sabaudo permiſſis, & qua fide & qua apud Sereniſſ. Sabaudiæ Ducem gratia commemoret ipſe viderit. De Brixia reciperata jam excuſſimus verum. At quid de Vercellis? Eaſne Sabaudicis armis partas aut ex fœderum tabulis Sabaudo Duci debitas abſtu-

abſtulit ſibi Dux ille? Profecto ſi ad Hiſtoriam recurrimus, inſignem perfidiæ notam tanto Duci impingit: qui Venetis fœderibus, Philippo ex eodem fœdere juratus hoſtis, huic Philippo filiam elocavit, vacua prius per innoxii ſanguinis effuſionem domo, & elocatæ pretium Vercellas tulit, ultro eis decedente Philippo. Ita de hoc ipſo condidiſſimus illius virtutum æſtimator Jovius: *Verum Philippus ingrati ſævique animi infamia turpiter ſeſe fœdaſſe viſus eſt, cum Beatricem uxorem adulterii cum Orumbello Citharœdo commiſſi ream, nec in tormentis quicquam contra pudicitiæ decus confitentem* (Sabellicus non modo flagitium conſtanter inficiatam dicit, ſed cum nihilo ſecius ad ſupplicium traheretur, adoleſcentis truncum intuitam manes ejus exſecratam fuiſſe, quod pudicitiam ſuam tota vita ſancte à ſe cuſtoditam ſupplicii metu falſo teſtimonio labefactaſſet) *ſecuri percuſſit, imparis ut ferunt conjugii pertæſus, cujus tam non dubiis opibus ad imperium perveniſſet: ut demum Amedæi Sabaudi filiam eventu ſterilem uxorem duceret, non ſine dote modo confectis nuptiis, verum ut ſoceri ſocietatem promereretur ultro traditis Vercellis.* His conſona habent, quotquot hujus facinoris commeminêre: ac proinde pluribus adverſarium confundere non eſt neceſſe. Præterea Sigiſmundum Imperatorem, ait id per litteras egiſſe, ut Sabaudum à Veneto fœdere abduceret,

quinimo ad arma in illos ſumenda ſtimularet ceu Patavii, Veronæ, Brixiæ, Bergami aliarumque ditionum ad Imperium ſpectantium detentores: ſed excuſaſſe ſe Sabaudum, omnemque operam navaſſe ut diſcordantia componerentur, neque abfuiſſe ſucceſſum, pace primum inter Imperatorem & Venetos anno cIↃ CCCC XLII. mox etiam inter Venetos & Mediolanenſes anno inſequenti firmata. Non unæ hic offuciæ. Quid omnino ſcripſerit Imperator, quid non ſcripſerit, nihil ad rem. Ea in Venetos fide id temporis Amedæum fuiſſe, ea religione fœdus ſervaſſe nemo credat, qui modo iſta à nobis allata, quæque ſtatim ſumus allaturi, legerit. Pacem vero factam quod Sabaudo apponit, tanquam ſi ejus autoritati ac meritis deberetur, propalam in Areſtinum ſive Eſtenſem peccat, ad cujus hortatus atque interceſſiones quotquot videre contigit annalium ſcriptores, pace mutatum hoc bellum referendum produnt. Quis rerum ſtatus eo ſæculo fuerit, notum vel modicè in Hiſtoriarum lectione verſatis, eoq; his Gibellinæ, illis Guelphæ factioni adhærentibus, irarum cauſas inquirere neceſſarium non arbitramur. Petenda erat Sigiſmundo corona, jam ferrea ad Inſubres redimito: Pontifex Eugenius erat, natione Venetus, Gibellinis partibus adverſus, ſat male in Sigiſmundum animatus, Venetos ſibi quam addictiſſimos ſemper expertus.

pertus. Ergo quæ in illos à Cæſare tum Hungariæ & Bohemiæ Rege deſignata feruntur, non ad Cæſarem magis quam ad Inſubres referenda. Mox Cæſar Pontifici conciliatus & Imperiali ab illo diademate inſignitus, quin omne animi fermentum in Venetos poſuerit, dubitandum non eſt. Abſque hoc foret, nunquam ad Sigiſmundum Veneti Andream Mocœnicum, Joan. Contarenum, Al. Storlatum, Thomam Michaelem, Joannem Gradenicũ, Franciſcum Barbarum, Ambroſium Bodoartum, Chriſtophorum Maurum, Marcum Genum & Johannem Cornelium, Legatos miſiſſent, qui Sigiſmundo Imperatori per Veneti imperii fines iter facienti comitatum honoremque officioſe præſtarent. Exinde quicquam hoſtile in Venetos Sigiſmundum patraſſe, legiſſe me non recordor. Ita ut merito de fide noſtri hominis, quam ubique fluxam offendo, dubitare liceat. Quod nequis temere à me aut falſo dici putet, expediat nos totamque rem Petrus Candidus December, ſcriptor non incelebris modo atque illius ævi, ſed inſuper ipſius Philippi Inſubris Secretarius, & Venetis eo nomine minus æquus. Hujus verba ſunt in vita Philippi Cap. XVIII. *Verum major rerum ſecuta moles: quippe Florentini deſtituti ſuis copiis, amiſſo Duce, Venetorum opes implorant. Vrgebat bellum Franciſcus cognomento Carmagnola, olim Philippi Dux, ad Venetos delatus*

ex

ex patrio expulſus lare. Ejus igitur auſpiciis Brixia à Venetis oppreſſa: receptæ inſuper pacis conditiones Nicolao Cardinale Sanctæ Crucis ſuadente: ſed cum Philippus pacem diſtuliſſet, victæ ejus copiæ ad Marladum vicum, & Pergamum in Venetorum devenit poteſtatem, cum utrimque terra pariter ac flumine pugnatum eſſet. Maximum cladis ſolatium non multo poſt liberatio Lucenſis urbis quam à Florentinis obſeſſam Duce Nicolao (Piccinino) noſtri conſervaverunt. Idem Cap. XIX. *Gallorum copiis ut offenſus primo bello Veneto Philippus, ita ſecundo & tertio adjutus eſt. Nam Allobrogum Dux Amedæus priſcæ conſanguinitatis haud immemor Mariam Iuliam ſubinde uxorem dedit illi: tradita Amedæo Vercellarum urbs, quaſi ſequeſtris quædam conciliandæ pacis atque ſervandæ. Fuêre autem Philippi copiæ ſuperiore bello equitum duodecim, peditum ſeptem millia, cum Venetorum ampliores exiſterent, claſſis utrimque Pado inſiſteret, referta viris & armis.* Idem Petrus Candidus eodem tractatu C. XXXVII. ubi de matrimoniis Philippi diſſerit, rotunde hæc verba ponit: *Bello autem Veneto primo pari fere neceſſitate coactus eſt Mariam Allobrogum Ducis filiam uxorem ducere.* Ita prorſus ut non tam cum fortuna animum Philippus mutaverit, quam Amedæus neceſſitatem ei injecerit incumbentem ſibi hanc tempeſtatem vel ejuſmodi jactura redimendi. Quod eo ad fidem pronius, quia & ipſum cum vulpinante vulpinatum conſtat. Sic idem December iſto tra-

cta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ctatu Cap. LXV. ubi de religione Inſubrium, Ducis Philippi Mariæ & exhibita ſummis Pontificibus reverentia ei ſermo eſt. Cum Eugenium IV. Pontificem ad Concilium, quod ipſe conſtituerat, & dignitatem ejus labefactari comperiſſet, in integrum reſtituit, poſthabita ſoceri autoritate, quem in ſpem Pontificatus ſolus evexerat. Adeo ei juſtum viſum eſt, & expers criminis, fraudem fraude ulciſci.

CAP. XXXVI.

In fœdere quod à Venetis cum Ludovico renovatum eſt, prior ponitur Illuſtriſſimus Dux Venetorum. Sabaudorum Ducum merita in Venetos utpote conducta & pretio & præmiis compenſata ſunt. Venetorum μεγαλοψυχία Regis nomen, quod Duci eorum offerebat Fridericus Imperator, reſpuentium.

AB Amedæo ad Ludovicum deſcendit: in quo cum magni aut novi admodum nihil ſe oggerat, contentus dixiſſe ipſum cum Venetis fœdera renovaſſe, duo tamen quaſi ſolennia dicis cauſa concludit: quorum prius Venetis prælatos Sabaudos; poſterius multis præſignibus bene meritis Venetos à Sabaudis affectos. Quorum utrumque eo fine proponit, ut & injuſtitiæ & ingrati animi reos illos peragat. Sed bene habet, quod fœderis conſcripti exemplum exhibere nobis neglexit. Qua in re nullum colorem habet, quo

frau-

fraudem iterum deprehenſam oblinat. Diſputatio præcipua fuerat de prælationis jure, quod aſſertum ire cœperat Duci Sabaudiæ, eò quod in nonnullius fœderis in Venetiarum urbe Duciſque palatio icti tabulis nomen Sabaudi Ducis prius eſſet ſcriptum quam Ducis Veneti, quod ſupra refutavimus. Nunc pergit dicens, etiam fœdus cum Ludovico incidiſſe in annum cIↄ cccc LI. Quo ita ſimpliciter poſito ſperat Lectorem exiſtimaturum, eundem honorem hic quoque Sabaudo habitum. Quod cum ipſæ tabulæ refutaturæ eſſent, callido eos ſilentio omittit, & quaſi hoc ſatis non eſſet impudentiſſimo mendacio iterum chartas ſuas attaminat, auſus aſſerere, Sabaudo primas aſſignatas. Quod quidem nuſquam latebram inveniret, ſi ipſæ tabulæ recitarentur, in quibus clare invenias:

Illuſtriſſimus Dux Venetorum,
Illuſtriſſimus Dux Ludoicus.

Et re vera hic eſt, hic ſemper fuit eritque legitimus Sabaudi Ducis gradus, ut dignitate ſe præcellentioribus Venetis decedere teneatur. Deprehenſus eſt ἐπ' αὐτοφώρῳ, ut loquuntur J. Cti, qui ut obtentum prælationis jus tueatur, tabulas ſupprimit, qui contra apertum ordinem ſcripturæ textus ac ſubſignationis prælationem illam obtrudere Lectori cupit: quam nullam attento hoc ordine vel dari vel fingi poſſe & ipſe novit, & videat quivis utcun-

que Arcadicum pecus, & vervecum in patria craſſoque ſub aëre natus. Sed & denuo hic odioſus eſt in commemoratione beneficiorum à Sabaudis Ducibus Reipublicæ Venetæ præſtitorum. Sane ſi bene novit benefacta benefactis tegenda ne perpluant, imprudenter agit, qui toties iterata eorum exprobratione ipſa corrumpit, immo pro theſauro carbones, ſcorpionem loco panis obtrudit. Non cadebat in Sabaudos benefactorum amplorum meritum iis temporibus: quæcunque fecere debebantur, debebantur, ajo, pro elargito non proletaria liberalitate ſtipendio, debebantur ratione συμμαχίας & commilitii, cujus ferrumen utilitate utrimque communi coaluerat. Intempeſtiva ſemper beneficiorum exprobratio, præſertim adverſus eos, à quibus majora reddita ſunt. Nunquam rictum Marcii Leonis, nunquam alas inſignibus ejus inſeruiſſent Veneti, niſi memores rerum ab illo bene geſtarum, quem ſibi de penitiore nota voluiſſent conciliatum. Nunquam hæc Sabaudus inter inſignium ſuorum ornamenta comparere & velut ſublimia eminere voluiſſet, ſi non credidiſſet hæc ſibi poſteriſque honeſtamento futura. Scio non eſſe adoranda propter viam numina magnorum Deorum, eoque faceſſere jubebo Accurſianum illud: etiam aſinum ſuperbia intumeſcere, cum ſe per parem ſibi videt apprehendi, ſed

nemo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

nemo rerum tam eſt rudis, ut neſciat inſignium decora, quæ aliunde quæſita oſtenduntur, hoc habere, ut tanto credantur glorioſiora, quanto eſt major qui conceſſit: ut non credat illos, qui eis conſpicui eſſe gaudent, ex magnitudine conferentis ſuum decus metiri. Huc uſque ſemper crepat fœdera. Nemo vero fœdera magis inter beneficia locavit, quam illud, Do ut des, facio ut facias: aut ſiquidem hæc inter beneficia reputari convenit; næ ſtolidi J. C[ti] ſint, qui hæc & ab his non abeuntia contractibus accenſent, in quibus non benefacti meritum, ſed obligationis vinculum utrimque devinciens elucet. Præter fœdera magno velit illa ſui decoris conſtans atque perpetua tutatrix Reſpublica doceri, quid quantumque ſit illud, cujus nomine Sabaudo Duci ſit debendi rea. Illa quidem in præſenti experiri videtur Cornelianum illud Oraculum: *læta eo uſque eſſe beneficia quoad exſolvi ſperes, ubi multum antevenere, odium pro gratia rependi.* Poſſem enim (ſine dolo dicam) hic enumerare, quæ quantaque in Sabaudos Veneti benefacta cumularint: poſſem demonſtrare nequaquam Sabaudos par pari retuliſſe: ſed neque in hamum unquam ſua munera Sereniſſ. illa Reſpublica ſit, neque ei hæc mens, ut collatorum à ſe beneficiorum odioſa commemoratione alicui ingratum animum probro vertat, & imputet perinde ac ſi in

ſi in Danaidum dolum ea congeſſiſſet. Illud vero profligatiſſimæ ἀχαριςίας eſt, alienis beneficiis diſſimulatis ac depreſſis ſua, quæ nunquam collata exſtent, jactitare, eumque à quo acceperis falſa ingratitudinis aſpergine inquinatum ire. A qua culpa neutiquam immunis eſt noſter, qui utut compertiſſimum habeat Sabaudos Comites nulla comparatione grata Venetæ Majeſtati æquari potuiſſe, fingere non erubeſcit, ſub Ludovico demum Amedæi VIII. filio Venetos circa prælationis jus controverſiam moviſſe, uſos, ut ait, temporum occaſione. Quod totum commentitium eſt & bono viro indignum. Nulla undecunque cauſſa afferri queat, cur ſui juris illa Reſpublica advenas aut è penitiſſima Germania proceres, aut Gallis ab initio vectigales, & vicinorum libertati velut è ſpecula inſidiantes, ac partim vi, partim matrimoniis, tum ſucceſſionum compendiis ſenſim aſſurgentes, revereri ac ſupra ſe habere voluiſſet: cur eos quos longe poſt ſe oriri viderat, ſibi ultro æquaret, facto videlicet aut virium periculo, aut dignitate utrimque velut in æquilibrio ſuſpenſa, judice eventu. Debuerat noſter ebuccinata Amedæi, qui Magnus dictus, præſtantia præ cæteris una cum recenter collato nomine Ducali gradum quoque prælationis in illo Duce tueri ac commonſtrare, talem à patre ad filium ceu traduce fuiſſe tranſmiſſum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Ut ipſe dixit, Solomon erat ſui ævi, ut verum eſt, Princeps erat (bonis maliſve artibus non definiam) vel ringente invidia magnus, cui nec famulantis obſequia fortunæ nec ad captandos rerum tranſitus prudentia abeſſent. Sed enimvero ipſe Amedæus quantumvis profundi ambitus, & vaſta ſemper atque immoderata cupiens, Venetos ſecum nondum comparare didicerat, tanto indies apud illos major conſpectiorque, quanto ſe decentius intra modeſtiæ terminos continebat & Sereniſſ. Rempublicam venerabatur. Non eſt enim ut metuamus, ne adverſarius oſtendat, quas ille Baſileenſi I. Synodo turbas dedit tanquam Imperii vicarius, eaſdem unquam dediſſe contra Venetos Imperio nunquam obnoxios. Quinimo vel tum temporis ipſius legati dicta Baſileenſi Synodo dilucide proteſtati ſunt, loco quem ſibi deberi contendebant deceſſuros, ſi de novo ſubvenirent aliqui Regum vel Ducum Ambaſciatores qui jure ſuo præcedere debeant. Illi ipſi Legati ſuo Duci non ibant aſſertum προεδρείας jus niſi ex illo capite quod ſe reciperent probaturos, Sabaudos Comites ante tria ſecula Chablaſii & Auguſtæ Dominos fuiſſe: eoque dicebant ſe Duces præcedere debere, in honoribus (ipſa proteſtationis verba pono) qui poſteriores eſſent. Ecce Princeps (ut adverſarius ipſe loquitur) magna gerendi ſemper cupidus, to-

tum

tum prælationis, quam ſibi contra aliquos deberi contendit, fundamentum ac baſin ponit temporis prærogativam, qua illos ſuos æmulos vincat. Quomodo ergo cogitare potuit, idem ſe controverſiæ cum Venetis habiturum, quorum αὐτεξουσία jam tot ſeculis ante Sabaudici Comitatus aut Auguſtani Ducatus ſteterat nomen; uti nulli vectigalem aut obnoxiam Rempublicam, coævis libertatis Majeſtatiſque primordiis & auctu, ſemper erat tutata. Abſurdiſſimum eſt igitur, quod ganniebat adverſarius, Venetos contra Ludovicum Primum præ ſe tuliſſe, ut priores Sabaudicis Ducibus eſſe vellent, eique velut eripuiſſe, quod neque patri ejus unquam dederant, neque ille unquam ſibi popoſcerat aut tribuerat. Nam cum clare in fœderum tabulis, unde maxime adverſarium mendacii coarguimus, nomen Ducis Veneti Ducis Ludoici nomini anteponatur, ſi hic illo ordine ſe gravatum & labefactatum jus ſuum ſentiebat, cur nullam contrariæ mentis teſtationem interpoſuit? cur non queſtus eſt, & ſuæ, ſiquam habuit, quaſi poſſeſſionis aſſerendæ voluntatem vel remotiſſimis ſignis eminus ac per umbram, ullo facto, loco, tempore explicuit? Eandem veritatis orbitam terentes docent nos annales Fredericum III. (hic à Sigiſmundo ſecundus, qui primus Ducale nomen Sabaudo decrevit) Venetis Regale nomen obtuliſſe: quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

& Majeſtatis ſuæ conſcii patres, qui Rempublicam late Regem nullo augmento aſſurgere poſſe ſcirent, & externo fulgore Reipublicæ tantæ accedere quicquam poſſe neminem credere vellent, inviſumque libertati regale nomen averſarentur, nova inſuper atque inſueta ſuis contenti admittere nequaquam ſuſtinerent, magno animo recuſarunt: tanta quidem omnium conſtantia, ut eidem annales nos doceant, repertum fuiſſe neminem, qui ad Senatum id referre voluerit, nedum probante calculo habere pro tali quod amplecti atque admittere è Majeſtate Reipublicæ eſſet. Videt hic adverſarius noſter Rhodum, videt ſaltum. Nempe hæc vivente, vidente Lodoico Frederici coætaneo Venetorum fœderato obvenere. Actionum humanarum ſcaturigo animus eſt: animum facta declarant. Hoc ipſum quod fingit de mota à Venetis controverſia ſuper prælatione, factum illud Frederici Imperatoris aut præceſſit aut excepit. Si præceſſit: jam tum apud Imperatorem iſto loco fuiſſe dicendi ſunt, ut ea controverſia mota opus non fuerit: ſin excepit, nemo integer mentis ſtatuat, Duci multis paraſangis ſe inferiori ſuper dignitatis prærogativa dicam ſcripturos, qui Regiæ etiam dignitatis ſublime nomen nullum ad Majeſtatem quam tuerentur augmentum conferre poſſe credebant. Ipſa inſuper

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſuper rerum evidentia adverſarium exſultantem in ordinem cogit. Venetos enim ſi ſpectes, citra dubium anteibant Tempore, Majeſtate, Potentia. Si Ducem, novem nondum anni effluxerant, ex quo propriæ dextræ confeſſione potiorem Venetorum dignitatem agnoverat, & nomen ſuum in illa fœderis ſignatione poſt nomen Ducis Veneti loco inferiore ſcripſerat. Sed non eſt ut in re manifeſta nimii ſimus.

CAP. XXXVII.

Verba affictà Pio Secundo Pontifici & exemplum ejuſdem examinata. Pius II. *Hiſtoriam ſui temporis inceptam non edidit. Argumenta adverſarii varie contra ipſum retorquentur.*

EX allatis ſuperius patet confutatiſſimum eſſe quod notat Mantuano conventu, qui in annum incidit cIↃ CCCC LIX. novi quid molitos Venetos, quum Sabaudo decedere noluerint. Si ficum ficum, ſcapham ſcapham appellare permittitur, novum inauditumque haud minus fuit, quam iniquum, eo vecordiæ proruere auſos Legatos Sabaudos, ut conſcii pacti proprii, conſcii ordinis inviolabiliter in id tempus ſervati, eum per fas & nefas quantum in ſe eſſet, irent everſum. Verba tamen quæ allegat ex Pio II. (ſic credi cupit) Papa in Hiſtoria ſui temporis hæc ſunt: *Multa ibi de*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſeßione contentiones fuerunt, ſed nulla major quam Venetorum & Sabaudienſium. Illi potentiam & antiquitatem ſui Imperii præferebant; iſti nobilitatem ſanguinis & conſuetudinem. Hæc ille, ut innui, habet pro verbis ipſius Pontificis: nec modo pro narratione ſed pro confeſſione Papali. *Confitetur*, inquit, *Papa uſum ac praxin militare pro Sabaudo.* Dico ego, non conſtare hæc verba eſſe Pontificis, eoque hoc adverſario probandum. Conſtat ex adverſo eſſe Joannis Gobelini, qui Pontifici Pio familiaris fuit, &, ut quidam volunt, ei à ſecretis. Hujus commentarios referente Gerhardo Johanne Voſſio (quem præceptorem meum eximiæ pietatis, candoris ac doctrinæ virum, mihi ſemper obſervandum honoris cauſa nomino) Franciſcus Bandinus Picolomineus anno cIↃ IↃ LXXXIV. publici juris fecit. Notum eſt Pium ſecundum, qui & Æneas Sylvius, è gente Picolomineorum fuiſſe. Latere ut potuerit eadem ſtirpe creatis ſummis viris & doctrinæ laude ceu familiari gentis decore multum præluſtribus, hæc à Pio Secundo fuiſſe exarata, vix vero ſimile eſt. Atqui liquet tamen ex ejuſdem Bandini ad Gregorium VIII. Papam præfatione, non hanc Hiſtoriam Pii Pontificis eſſe ſed Gobelini. Vix eſt ut hoc domeſtico teſtimonio majus aliquod temere quis requirat, præſertim ſi, quo animo ipſa epiſtola ſcripta ſit, attendere non gravetur. Scio ſcriptis in-

cla-

claruiſſe Æneam Sylvium, ſive malimus Pium Papam: at Hiſtoriam ſuorum temporum ſcripſiſſe, quæ lucem videat, ingenue fateor me neſcire. Fecit, ut Platina ait, rerum ſui temporis in Italia geſtarum libros duodecim: quod opus nondum abſolutum cum vita finivit, vetuitque plublicari niſi emendaretur. Trithemius item Spanheimenſis Abbas in vita Pii II. teſtatur, ſcripſiſſe opus Hiſtoriarum imperfectum. Jam vero adverſarius iſta verba fert deprompta ex Hiſtoria Pii ſuorum temporum, & in judicio confeſſioneque Pontificis argumentum ſuum præcipue fundat. Exhibeat ergo nomen Pii, exhibeat emendatorum nomen ac fidem, exhibeat, ubi & quando publici juris facti ſint hi commentarii, veri autoris nomine non diſſimulato aut ſuppreſſo. Inter opera utique Æneæ Sylvii hanc ſui temporis hiſtoriam non reperiri oculata fide atteſtor. Edita ſunt illa Baſileæ anno cIɔ Iɔ LI. id eſt, totis triginta annis antequam Bandinus Gobelinum prælo commiſit. Nunc etiam ipſa verba videamus. Qualia qualia ſunt, confeſſionis nomen non merentur, eoque nec illius efficaciæ ad probandum cujus ſit confeſſio, inter probandi modos valore non poſtrema. Demus eſſe vel ipſius Papæ: nuda relatione atque enunciatione abſolvuntur. De enunciativis deque aſſertis etiam à ſummo Pontifice eorumque effectu hoc ope-

re dictum plus ſatis. Per rerum naturam impoſſibile eſt, ut ſolido veritatis fundamento obtendi, quæ iis verbis memoratur, potuerit conſuetudo, quam contrarius actus introduci non patiatur. Provocanti modo ad dictas fœderis quod anno cIↄ cccc LI. ictum fuit tabulas omnia ſuppetunt, quæ ad jugulandam hanc tam effrenem atque impudentem aſſertionem vel humana ratio vel legum dictamen ſuppeditare apta ſint. Quin eſt & retorſioni locus, ſi enim conſuetudini ſtandum, illud ipſum meritiſſime iterandum toties Ducis Ludovici factum, quæ qualiſque fuerit conſuetudo, quis circa hoc prælationis jus uſus, liquide declarant, nempe fuiſſe ordine priores Venetos, iis vero ut ſe dignioribus Sabaudos decedere ſolitos. Unde etiam manifeſte conſit, Venetos in dubio (quod hic nullum) in quaſi poſſeſſione prælationis iſtiuſmodi locatos, recepto jure, unicum quamvis actum in talibus in quaſi poſſeſſione conſtituere. Barth. in l. 1. §. hoc interdicto. ff. de itinere actuque privat. ac proinde ſecundum illos utpote quaſi poſſeſſores pronunciandum. Quo ſpectant illa Baldi in l. obſervare. §. antequam. in fin. ff. de offic. Proconſ. docentis quod ille qui eſt in quaſi poſſeſſione, etiam ex vi ſolius conſuetudinis præcedendi in ordine & ſedendi in loco, poſſit etiam armata manu reſiſtere adverſus eum qui hunc ordinem per-

tur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

turbare contendat. Sed hæc in tranſcurſu. Ita interim eſt,ut ullam quæ huic adverſetur conſuetudinem, ullum ejus conſuetudinis uſum aut exemplum præter anni cIↄ cccc XLVI. quod ſuperiori capite confutavi, adverſarius producere nequeat. Eoque falſum eſt, nec citra dolum malum ab ipſo dicitur. Venetorum majores utut multarum Provinciarum dominio Sabaudis potentiores citra ullam difficultatem hæc tranſmiſiſſe. Mirum vero quod cum tam potentes Venetos faciat, neque ignoret potentiæ nervum eſſe majeſtatem, in cujus vigili conſervatione ſalus regni conſiſtit imperiique tutela, Venetos eam tam negligenter contemtimque ac velut projecte habuiſſe credi velit; Venetos, inquam, Reſpub. ſiquid annalibus ſtandum, audiebat Dominus Octavæ & quartæ partis Orientis: niſi excordes omnes credit & à communi intelligentia deſtitutos. Venio nunc ad exemplum Pii II. Pontificis. Hunc ait inter Venetorum & Sabaudi Oratores de ordine ſedendi orta controverſia, licet Venetis addictiſſimum, Sabaudo Duci præjudicare noluiſſe: eoque notabili temperamento Venetis poſt Oratores Burgundos collocatis Sabaudienſes ad ſcabellum ſolii ſui juſſiſſe ſedere. Magno documento eſſe poteſt hoc ipſum exemplum, levitate atque inconſtantia plus quam deſultoria gaudere noſtrum. Vult hoc loco hono-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ratiorem præ Venetis locum Sabaudis obtigiſſe. Contrarium ex iis, quæ Baſileenſi Synodo geſta ſunt, liquidiſſime obſerves. Audiamus quæ in Amedæo VIII. ipſemet narret, non aliis quam ipſius verbis uti libet: *Sed quoniam Principi magna gerendi avido præcipua rerum ad famam laboranda ſunt, Oratores ſuos imprimis ſollicitos eſſe juſſit, honorificus ut in eo conſeſſu locus ipſis attribueretur. Neque difficile fuit ipſis obtinere quod cupiebant. Priuſquam Oratores Ducis Burgundiæ veniſſent: quibus cedere ut indecorum videbatur, ita præire neutiquam ſperandum. Tandem eum in modum compoſita controverſia, ut dexter Burgundioni locus poſt Patriarcham Alexandrinum, ſiniſter poſt Antiochenum Sabaudo aſſignaretur: addita declaratione, hunc quam proximum à Burgundione eſſe honoratiorem.* Declaratio ergo iſta vim habet & habere debet judicati. Non ereptum hoc mihi videt adverſarius, qui hoc ipſo loco Menochium laudat, in hæc verba: *Etſi exemplis judicandum non ſit l. nemo. C. de ſentent. & interloc. omn. Iud. attamen judicandum eſt inter eaſdem perſonas, c. cum inter. Innoc. de re judic.* Qui ſuperius hoc Duci ſuo honorificentiſſimum adſtruxit, quod in ſolemnibus coronationis Papalis alterum Pontificis equo inſidentis latus clauderet. At quid immoror? Summa illa ambitio etiam Apoſtolorum fuit nondum rationem regni, cujus cauſſa veniſſe Servatorem cognoverant, percipientium, ut dex-

dextrum hic, ille ſiniſtrum latus in futura παλιγγενεσίᾳ Domini claudere permitteretur. Sciſcunt J.C^ti minime mutanda eſſe quæ ſemper certam habuerunt interpretationem. Illud vero ab omni ævo habitum pro indubio, proximum à dextro locum ſiniſtrum eſſe, cum uterque qui à dextris, quique à ſiniſtris conſiſtunt, intermedium ex æquo aſpiciant. Statui igitur aliter non poteſt, quam inferiores eſſe cæteros, qui neutrum latus claudentes quocunque demum loco ſtationem habent. Sed afferamus argumentum apodicticum. Statio *illa* ad latera aut præſtantior eſt intuitu ejus, qui cingitur, aut ei adæquata. Præſtantiorem nemo dicet; agitur quippe de tegendis lateribus illius quem ſe potiorem uterque exterior & interior agnoſcit. Neque adæquatam accipere poſſumus propter eandem rationem. Cumq; honoratiſſimus habeatur ille qui medius eſt, proximi vero qui latera tegunt, ſequitur eos qui à neutra tegunt parte minori honor e dignos exiſtimari. Nunc Pii Pontificis quod vocat temperamentum examinemus. Sciebat haud dubie priores Venetis partes aſſignandas: aſſignavit. Sciebat ambitus immoderatum Sabaudum, qui principem locum à dextra Baſileenſi Concilio alteri deputatum, ægerrimis oculis viderat. Igitur non tam cum Venetis, quam cum aliorum Principum Oratoribus imminentes ob eandem

cauſſam

cauſſam tumultus metuebat, quos effugere intererat publicæ quietis. Quippe ni? Adfuturi erant complures Sabaudo non modo non ſecundi, ſed modis omnibus priores. Arte ſubveniendum fuit: placuit locus quaruncunque interpretationum capax, eoque omnibus probandus & quaſcunque querelarum ſcaturigines in capite preſſurus. Quæ dixi omnia manifeſta ſunt. Ambitus intemperantem Sabaudum notat in Amedæo Pacifico compluribus locis ipſe Monodus. Indigne tuliſſe ſuos Oratores ulli ſecundos fuiſſe idem Monodus affirmat. Verba ſunt: *Reclamavit tamen Amedæus his auditis* (nempe aſſignatum ſuis locum à ſiniſtris, ut ſupra citabam) *& per literas cum Patribus graviter expoſtulavit, in ſedibus Oratorum prægravari ſe non ferens.* Et tamen hic quoque adfuiſſe alios Sabaudo Duce potiores adverſario prodente cognovimus, qui proteſtationis formula docet nos, Sabaudicos nequaquam libare jus illorum voluiſſe. Verba ſunt: *Niſi de novo ſubveniant aliqui Regum vel Ducum Legati, qui jure ſuo præcedere debeant.* His patefactis ſana ratio dictat, non aliud Pontificis fuiſſe inſtitutum, quam quod declaravimus. Etiam in privato ac privatim verecunda eſt intentio ejus, qui lites exſecratur. Quo magis Summo Pontifici nihil magis curæ cordique eſſe debebat, quam hinc ut Patrum Concilii atque ideo omnium animos rege-

regeret idem amor quo cœlum regitur, inde ut in Eccleſia omnia ordine fierent. Decebat vero civilem prudentiam, à qua Pontifex ille longe inſtructiſſimus in univerſum perhibetur, curare ne perire iſtis contentionibus tempus, Patres Concilii factionibus diſtrahi, actaque variis rumoribus differri, ac agitari pateretur. Privatim muſſitari, premi, & velut non intellecta præteriri poterat hæc Sabaudicorum Oratorum immerita pro debito poſcentium ambitio: ſed ſpecioſo velabatur obtentu, perinde ac ſi non faſtu & ſuperbia eo procederent, ſed ordinis publice privatimque ſarti ac tecti tuendi zelo. Ita Gregorius c. ult. diſtinct. 89. Concordiam ordo alit ac fovet. Ordinis ſervandi gratia qui contendunt, nihil aliud agunt quam ut à Deo ordinata & conſtabilita tueantur. Iidem naturam defendunt humanam, quæ (Imperatoris utor verbus) neque omnes ex ordine inter ſummos, neque rurſus omnes inter noviſſimos conſtituit. Jura pariter tuentur civilia, quibus magnæ curæ fuit, ut alter alteri præſit, alter ſubſit. Factum huc uſque attendimus, & facti cauſam: veniamus ad ſequelam. Agnoſcit ſupra Sabaudiæ Ducem Burgundionem hic noſter, agnoſcit Venetos. Prius Amedæi querimoniam injuſtitiæ redarguit; poſterius toti cauſæ, cui Patronus acceſſit, labem affert. Quid vero de cæteris Principibus? Certe &
ipſis

ipſis non minus ſalvum prælationis ſuæ jus atque illibatum remanſit; Sabaudo Duci ſupra paris dignitatis gradum protollendi facultas adempta. Locus quem Sabaudi Oratores preſſere vi Pontificii decreti, anomalus erat. Noluiſſent eum ſemper occupare Sabaudi ad potiora adſpirantes: noluiſſent hanc ſibi controverſiam deinceps moveri Veneti Patres, quorum modeſtiæ, pietati hoc pacto vel qualiter qualiter factum ſatis Pontifex videri voluit. Nam quod Pontificis hoc temperamentum quaſi in extraordinarium honorem ſui Ducis interpretatur, fruſtra eſt. Vult tamen, perinde ut Baſileenſi Concilio, locum à Burgundione proximum inſidere: recuſarunt Allobrogum Legati, idque propter ex adverſo à ſiniſtros conſedere: ita & hoc conventu eundem eos ſpreviſſe locum: quo tamen contentos Venetos ipſo facto demonſtraſſe, locum à potioribus recuſatum ſe non dedignari, ac proinde iis qui recuſarint, minus honoratos ſe confiteri. Equidem cauſam nullus video, quare Baſileenſi Synodo honoratior viſa eſt ſiniſtra, nunc poſt dextram cæteris non ſit honeſtior. Niſi forte idem locus diverſam induit formam, cum à Sabaudis occupatur, & cum occupatur à Venetis. Mentitur vero cum ait Sabaudos locum recuſaſſe, quem Veneti acceperint. De hoc ipſo loco fuit certamen, & illi tumentes inani ſuperbia non hunc,

ſed

ſed proximum huic, id eſt, ſecundum à Venetis recuſarunt. Nec vero Venetorum fuit, Concilio ejuſque primicerio leges dicere, nec ſe pro Synodalibus decretis, ſed pro libitu, quod ſemper inquietæ & ſecum diſſidentis ſpernentiſque præſentia Sabaudicæ ambitionis eſt, componere. Pontificii temperamenti non alia fuit ratio, quam quod ordinario loco hinc inde qua dextrorſum, qua ſiniſtrorſum ſingulis aſſignato & unicuique relicto. Sabaudo extraordinarie proſpiciendum eſſet, quod Novellus Dux, in quo (verba Hiſtoriographi) erat cæterarum rerum facilis contemtus, autoritatis tamen retinendæ præcipuum ſtudium, captata hac illave ſuper prælationis jure diſputandi anſa quieta turbaturus timeretur. Dux, inquam, privatim magnus & quem in Antipapam creandi, Ænea Sylvio referente, cauſa inter poſtremas haud fuit, quod unum pedem in Gallia, alterum in Italia haberet. Quæ cum ita ſint, ſine controverſia corruunt omnes adverſarii gloriationes. Namque ſi Pontificio decreto ſuperior fuit, cur ei dignior locus ereptus, curve aſſignatus quem anomalum eſſe negari nequit? ſi non fuit, cur in aſſignato loco tam ſerio triumphat, Venetos eum locum pleno jure tuentibus. Quæ præterea hic aggerat, nihil aut ſtringunt aut ad rem faciunt. Fœderis inter Venetos & Sabaudum Amedæum icti anno

cIↃ

cIↄ cccc XLIV. recordatur, ſed cujus nec vola nec veſtigium alibi reperitur. Forte anachroniſmo peccat. Exſtant enim fœderis tabulæ inter Venetos hinc, illinc Amedæum & Telandam ejus conjugem, ſed quæ toto triennio ſint poſteriores. Has & quaſcunque voluerit proferre, ei liberrimum eſt. Nunquam effecerit, ut ob congeſtos cumulatoſque honorum titulos & prolixæ humanitatis ac benevolentiæ ſigna Majeſtatem ſuam Veneti Sabaudis ſubmiſiſſe videantur.

CAP. XXXVIII.

Reſponſum ad loca ex ephemeridibus Iacobi Bocardi & Lalagnii Toparchæ. Exemplum quo Legatus Venetus Anglico dextram, Sabaudus ſiniſtram licet invitus texerit. Maximiliani Cæſaris in hac controverſia deciſio pro Venetis, & inſigne de ea adverſarii mendacium in Concilii Lateranenſis deſcriptione. Cur Legatus Venetus Magnificus, Sabaudus dicatur Illuſtris: In eodem Concilio Legatus Sabaudicus Veneto, Mediolanenſi, Florentino poſtpoſitus.

REvertitur adverſarius ad libros quos vocavimus Ceremoniarum, ubi non obliviſcitur denuo ſui Paridis de Graſſis: qui atteſtetur quo tempore Orator Venetus privilegio SS. Trinitatis locum ſibi in Sacello vendicabat, id per internuntium egiſſe Alexandrum VI. Pontificem, ut quantiſper Sabaudiæ Ducis Orator Romæ degeret, ſeorſim ille com-

commoraretur, quoniam iſti citra injuriam locus ſuus eripi non poſſet. Sed enimvero quia hoc ipſum ſtatim denuo iterat, ipſis Paridis de Graſſis ephemeridibus citatis verbiſque ejus tranſſcriptis, quo ne actum agere ſit neceſſe, ſolutionem debitum ad locum reſervaturi accedimus ad illud quod ordine proximum, pariter ex ephemeridibus Iacobi Bocardi deſumptum. Ejus verba hæc allegat: *Cum Dominus Daubignii, Capitaneus exercitus Regis Francorum ingrederetur urbem, interfuerunt Oratores Regum Francorum & Angliæ, Ducis Sabaudiæ, Venetorum & Florentinorum. Inter quos non fuit ſervatus ordo, quia Sabaudus contendit, cum Veneto, qui ibat à dextris Oratoris Angliæ, & Sabaudus erat ab illius ſiniſtris. Nolui me interponere.* Non elevabo Ephemeridum fidem, quas neque jus neque autoritatem ſeu matriculæ ſeu Archivi publici habere certum eſt: non dicam eas ſcripturæ privatæ pondus non excedere. Nimirum valide hunc ipſum locum in adverſarium retorquere poſſumus, ſi modo verba recte ut debent, non ut ille ſenſit examinemus. Apparet ex iis Venetum Oratorem dextrum latus Anglici clauſiſſe, quippe ni? ſuo jure: apparet dextrum latus claudentem interpellatum à Sabaudico; proinde turbationis initium à Sabaudico contra quaſi poſſidentem & de jure (de quo ſupra multis actum) & de facto. Præcedere & poterat &

X de-

debebat ſalvo ſuo prætexto jure Sabaudicus Venetum ſibi nequaquam deceſſurum. Abſtinere autem ab illo concurſu, ſiquidem id ipſum volebat, debuerat: ſi nollet abſtinere, ſtationem tueri. Cum Poëta dicam;

— primum
Non cæpiſſe fuit, capta expugnaſſe ſecundum.

At vero neque providiſſe hic ſatis (ſi quod modo jus ei competeret) neque auſus fuiſſe dicendus eſt. Non ſatis erat turbare velle aut controverſiam movere, niſi ipſo facto, contrariæ mentis atteſtationem è veſtigio probaret, relictis nimirum ſolennibus & deſerta ſtatione, quam ſua dignitate credebat inferiorem. At vero nihil minus hic factum, ut videmus. Namque non ceſſit Veneto gradum ſuum tenenti: alias enim eum Venetus ſuo de gradu deturbare debuiſſet: ſed Venetum quem proturbare non poterat, invitus utcunque ſuam poſſeſſionem ſervato juris ordine tuentem videre ſuſtinuit. At quid dico, videre ſuſtinuit? locum immo amplexus eſt, quem ſi juſta erant quæ obtendebat, citra imminutionem dignitatis ſui Ducis, citra prævaricationem, citra juris quod ipſi competeret læſionem ſibi habere nullus poterat. Non hęc commentitia eſſe ipſa vel me tacente citati textus verba evincunt: *Sabaudus contendit cum Veneto, qui ibat à dextris Oratoris Angliæ, & Sabaudus ivit ab illius ſiniſtris.* Quod vero dicitur,

non

non fuiſſe ſervatum ordinem, peſſime accepit adverſarius, quaſi Sabaudo primæ deberentur. Iterum verba audiamus: *Interfuerant Oratores Regum Francorum & Angliæ, Ducis Sabaudiæ, & Venetorum & Florentinorum: inter quos non fuit ſervatus ordo, quia Sabaudus contendit cum Veneto.* Neque enim ſententia eſt, velut ſeditione univerſali omnes illos legatos à ſe diſceſſiſſe aut cum Sabaudis litem habuiſſe, ſed cæteris ſervantibus locum ſuum ſolum turbaſſe Sabaudum: atque verba illa, *non fuit ſervatus ordo*, aliud nihil deſignant quam efferentem ſe ſupra modum Sabaudicum turbas ejuſmodi conciviſſe, quæ ordinis quietem & ſeriem violarent. Quid enim hoc eſt: *ordo non fuit ſervatus, quia Sabaudus contendit cum Veneto?* Immo quamdiu contendit & lis eſt, ſi alter locum quem dicit ſuum poſſideat, ordo non poteſt dici turbatus, quia contenditur adhuc nec certum eſt cujus is ſit ordo. Inepte igitur illud *contendit*, quaſi in præſenti dictum accipit, quod eſt præteritum, & ſimplicem narrationem habet eorum, quæ ibi geſta ſunt. Interim ex hac Ceremoniarum ephemeride cognoſcimus Veneto licet ingratiis Sabaudum ceſſiſſe tum temporis. Ut ſine ulla contradictione ceſſit in fœderum tabulis anni CIↃ CCCC LI. aliquoties allegatis. Quæ etiam oſtendunt turbatum ordinem dici non poſſe ea mente qua voluit adverſarius: & hoc præſens merito

nos in exemplum trahimus conſuetudinis pro Venetis: præſertim cum in hunc uſque diem apud omnes prorſus Dynaſtas haud alius ordo in prælationum ſolemnibus quam qui Venetis Sabaudos poſthabeat, introductus ſit. Sive à noſtro ſeculo ad ea quæ anteceſſere progredimur, ſive à prioribus ſeculis in hæc tempora uſum receptum arceſſimus, ordo turbatus dici nequit, cum ille ſervatus eſt, qui hodieque ſervatur, neque diverſus eſt ab eo quem prioribus ſeculis omnes admiſere, omnes amplexi ſunt. Nam illud futile eſt, quod captat adverſarius dici ab illo Pontifici à ſolennibus, noluiſſe eum ſe interponere. Si non debebat, recte fecit: culpa eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti: ſi debebat, cauſa dari non poteſt, cur non fecerit, quam quod ſciret recte & ordine facere Venetum: alias ſiquidem ipſius fuiſſet Sabaudo contra injuſtas ejuſmodi uſurpationes adeſſe; aut certe quod nondum conſtaret jus aliquod eſſe Sabaudo, ideoque ordinem nondum eſſe turbatum, etſi ille vitilitigaret. Alterum quod affert exemplum eſt Georgii Montonis Sabaudi Ducis ad Maximilianum I. legati: cujus ait Lalaynii Toparcham in ſuis Ephemeridibus meminiſſe, quo nempe tempore orta de prælationis jure controverſia ſecundum Sabaudum contra Venetos decretum foret, eo quod Sabaudus Dux eſſet Princeps Imperii.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Sed intrepide dico vereque, ſi, quæ hactenus adduxit, quæque adducturus eſt porro, eandem habent veritatem cum hoc de Maximiliano, non mendaciis hic noſtri diſcurſus ſcatet, ſed totus quantus eſt nil niſi mendacium eſt. Non tam incurioſa ſui eſt Sereniſſ. Reſpublica, ut non hodieque in grammatophylaceo ſuo ſervet Cæſaris deciſionem quæ tota pro Venetis eſt. Potuit in diaria Lalaynius referre, quæ placuit, quæ animo collubitum eſt ſuo: non propterea tamen ſententia Imperatoris mutetur, aut jus tunc quidem vigore atque autoritate ſententiæ confirmatum, nunc vero plus quam ſeculari obſervantia ſic roboratum, ut convelli ac luxari non poſſit. Quod ſi res poſtularet, poſſit exhiberi publici illius inſtrumenti authenticum, quod cum authoritate ſcripturæ alicujus privatæ non committat aut componat niſi delirus. At non opus eſt unius & ſolius hujus deciſionis mentione facta. Dixi Maximilianum decreviſſe ſecundum Rempub. Venetorum. Addo nunc feciſſe idem Divum Carolum anno cIↃ IↃ XL. viceſimo octavo die menſis Maii Mechliniæ. Quod & ipſum exhiberi poſſet. Sed ſunt eo loco res, ſi verum amamus, ut nemo hæc in dubium vocare poſſit, qui duntaxat attendere velit tanto temporis intercurſu nihil aliud uſu obſervatum fuiſſe, aut obſervari etiamnum, quam quod illæ deciſiones habuerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Uſurpes de hoc Venetorum jure quod de conſuetudine Paulus J. C. In tantum probatum eſt, ut non opus ſit illud comprehendere l. immo. ff. de ll. Ait porro noſter, Lateranenſi Concilio Joannem Philibertum Oratorem Sabaudi Ducis titulo Illuſtris compellatum fuiſſe, cum tamen cæteri Oratores tantum appellarentur Magnifici, nec non Abbati Baumenſi datum fuiſſe titulum Reverendi. Non poſſum ſatis mirari hominis impudentiam cum inſcitia conjunctam. Impudentiam dico, quod jus προεδρίας Duci ſuo aſſerturus Lateranenſis Concilii auſit vel verbo meminiſſe. Si, quis illo Concilio inter Oratores ordo fuerit, à me quis requirat, eccum illum d. Concilii ſeſſione decima.

Illuſtris Dominus Albertus de Carpi Sereniſſ. Maximiliani electi Imperatoris Orator.

Magnificus Dominus Ludovicus de Schier Chriſtianiſſimi Regis Francorũ Orator.

Magnificus Dominus Hieronymus . . . Catholici Regis Hiſpaniæ Orator.

Reverendus Dominus Michael . . . . Illuſtriſſimi Regis Portugalliæ Orator.

Magnificus Dominus Georgius Dominii Venetorum Orator.

Magnificus Dominus Marinus Charatius Illuſtriſſimi Ducis Mediolanenſis Orator.

Magni-

Magnificus Dominus Franciſcus Victorius Dominii Florentini Orator.

Illuſtris Dominus Joannes Philibertus de Palude Comes de Laes, & Reverendus Petrus Baumenſis Illuſtris Domini Ducis de Sabaudia Oratores.

Ultimum hîc, ut videre eſt, locum Dux habet, non Venetis modo ſed Mediolanenſe quoque & Hetruſco ipſum dignitatis ordine anteeuntibus. Inſcitiam, quia non potuit videre, hunc Illuſtris titulum non datum fuiſſe Oratori, ſed qua Comiti. Ratio enim non ſit cur Imperatoris Orator magis Illuſtris titulo decorandus ſit, quam aut Galliæ aut Hiſpaniæ Regum, quos non niſi Magnificos vocatos dicta ſeſſione didicimus. Neque tam deſperatæ credo temeritatis eſt hic noſter, ut cum animadvertat Gallum Hiſpanumque Legatos Magnificos vocari, nunc certe monitus exiſtimet ſolum Ducis Sabaudiæ legatum ejus dignationis eſſe, ut præ cæteris, quinimo ſummis Regibus poſt tergum relictis, ſolus non minus titulo Illuſtris ſit vocitandus quam Cæſareus Orator: aut ipſos Principes & Dynaſtas legatis ſuis ſic æquatos, ut eodem honoris titulo hi quo Principes ſint decorandi. Atqui tamen neceſſe hoc foret: non enim ibi vocatur Dux Sabaudiæ niſi Illuſtris, qui dignitatis titulus etiam Legato datur. Quod abſurdum ut evitetur, omnino ſtatuendum eſt, hoc per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſonam Comitis privatim ſpectare, neque ad eum ut Legatum ſive Oratorem applicari poſſe. Quod ni fiat, etiam alterum occurrit abſurdum. Patet ex citato Oratorum indice, non ſolum Joannem Philibertum de Palude Sabaudi Ducis eo tempore fuiſſe legatum, ſed adjunctum ſibi habuiſſe Reverendum Petrum Baumenſem, ex Abbate Gebennenſem exinde Epiſcopum. Quos igitur injunctum munus, quos dignitas & mandatorum tabulæ æquarant, cauſſa non ſit cur titulis quis diſtingui putet debuiſſe. Siquid diverſitatis in eo, quod nonnihil amplioris dignitatis Abbati conferat Eccleſiaſticæ vitæ profeſſio, eoque nomine titulo Reverendi adjecto erat opus, ſcribendum fuerat, Illuſtris Joannes Filibertus de Palude Comes de Laes, & Illuſtris & Reverendus Petrus Baumenſis Abbas, &c. eaque fuerant conjungenda, non ſolum Reverendi epitheton tribuendum Eccleſiaſtico antiſtiti, perinde ac ſi aut Vice-legatus eſſet aut quovis modo ſuo collega inferior. Aſt, ut videntibus apparet, nihil tale obſervatum: unde etiam agoſcendum nobis, hanc Illuſtris tituli dignitatem in perſona ac dignitate Comitis radicitus defigi.

CAP. XXXIX.

Quo loca Paridis de Graſſis ſub cenſuram revocata. In iis adverſarii mala fides, & varii errores detecti. Novum exemplum quo Venetus Legatus contra Sabaudicorum querimovias quaſi poſſeſſionem Loci ſui in aula Pontificis tenuit. Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux Filius Divi Marci. Nec tamen hoc principium præcedentiæ Venetorum.

SUmamus in manus locum ex parte jam ante citatum ex Ephemeride Paridis de Graſſis, ad quem reſponſurum me ſuo loco promiſi. Paucis hoc vult, quod ſupra memoravi, Joannem Philibertum de Palude & Petrum Baumenſem Sabaudos Oratores iis mandatis inſtructos, ut quovis pacto Venetiarum Legato ne decederent: Leonem porro quam curate veſtigaſſe, quid circa hanc controverſiam uſu receptum, aut alias obſervatum fuiſſet, & à Paride de Graſſis (ut pote qui multis Pontificibus fuiſſet à ſolennibus) ſerio edoctum, extra dubitationis eſſe aleam, præ Venetis Sabaudo primi ordinis locum deberi: Atque hæc mox citato Paridis de Graſſis textu firmare ſibi videtur. Sed patebit ut ſpero rectius ipſum hic quoque cauſæ ſuæ conſulturum fuiſſe, ſi ab hujus ſaltim loci allegatione ſibi temperaſſet. Solitas artes lenocinantis ſtyli omneſque colores adhibentis, ut aliqua rebus accedat autoritas, prudens omittam. Sed fallit, cum Paridem de Graſſis multis Pontificibus ait à ſolennibus fuiſſe, quo mu-

 nere

nere ante dixerat ſub Alexandro VI. Brocardum defunctum. Incidit Alexandri mors in annum cIↄ Iↄ III. qui idem annus duos Pontifices vidit quorum Princeps intra illum vertentem fato functus ſucceſſorem habuit, cujus dignitatis periodum ægre biluſtrium exactum terminavit. Ei Leo X. ſucceſſit, ſub quo Paris ille de quo nunc agimus vixit. Peius vero agit, qui ipſum locum integrum nobis non exhibeat; quod myſterio non caret. Dixerat ante ex eodem Paride in vigilia Sanctiſſimæ Trinitatis Alexandrum rogare feciſſe Oratorem Venetum, ut tunc abſtineret, quia Orator Sabaudicus paucis diebus eſſet in urbe manſurus. addideratque: quod & factum fuit. Hic vero cum ipſa Paridis verba adducit, quæ omnino adducere debuerat dudum, & citra fœdiſſimam prævaricationem omittere non poterat, non modo non profert integra, ſed & ex abrupto allegationis à ſe factæ filum interſcindit, mutila periodo, quæ legentibus poteſtatem non faciat quid velit, quid nolit aſſequendi. Ipſa ſunt hæc: *Alexander rogare fecit Oratorem Venetum, ut tunc abſtineret, quia Sabaudiæ Orator paucis diebus eſſet in urbe manſurus &c. & ſic fuit.* Optima fide, ſodes, illud, *Et ſic fuit*, quid ſibi vult? Alexandrum rogaſſe? placet: at nihil inde Veneto nec cuiquam detrimenti. Venetum Pontifici roganti obſecutum? poſſet & hoc tanquam leve

leve tranſmitti. At vero morem geſſiſſe, quia jus alteri fuerit valentius, & ipſa ſolii Romani praxi firmatius, nego diſertim. Quo ne me longius diffundam, ſciat aut tum, cum aſſulatim hoc ex Ephemeride jam dicta fragmentum citare libido fuit, haud uſurpanda illi fuiſſe verba illa fortia, *Idque ipſum executioni mandatum*: aut nunc nequaquam debuiſſe ſupprimere verba Paridis geſtarum rerum ſeriem & veritatem legentium oculis exhibitura. Id quoniam omiſit, haud dubie perverſi textus, ac inſertis iis quæ ne per umbram in illo conſpiciuntur ſpuriati, reum ſe fecit. Verba ex Paride citata habent, *Rogare feciſſe Papam, rogandi pondus fuiſſe, quia Orator Sabaudicus paucos dies eſſet in urbe manſurus.* Ipſe relatis à ſe adjungit, *Rogaſſe ut abſtineret quantiſper Romæ commoraturus eſſet Sabaudus, cui locus iſte eripi non poſſet; idque eum in modum obtinuiſſe*, aut ut verbum quod latinitate donamus ſonat, *exſecutioni mandatum.* Motam controverſiam vidimus, vidimus Pontificem pro ſuo officio componere eam ſtuduiſſe; exitum videamus. *Concluſum fuit* (verba ſunt Paridis) *quod omnes Oratores ſimul irent in loco ſolito, ſed Sabaudi eſſent facientes medium magnificum Iulianum Papæ fratrem & tunc Capitaneum Eccleſiæ, quaſi ipſi eſſent una copia* (puto copulam dicere voluiſſe) *& ita factum fuit quo ad eundem. In ſedendo vero in latere dextro omnes Oratores alii ſedentes more ſolito, ſed*

qua-

quatuor Sabaudi eſſent in loco ſiniſtro ſolii. Concluſum ergo pro Venetis contra Sabaudos: Ergo decreto Concilii omnes quos modo recenſebam, Sabaudo prælati: Ergo Sabaudo nullus inter illos comparendi locus niſi noviſſimus, quod in Novello Duce id tempus non mirum omnium reſpectu, & Venetorum reſpectu ſimiliter haud mirum, etiam Anguſtani & Chablaſiæ Ducatuum intuitu, quos recentes deprehendi fas eſt ſiquis illos cum antiquitate Reipublicæ Venetæ putaret comparandos. Evidentius hæc ipſa facit utrumque tam in procedendo in publicum quam in ſedendo à Pontifice adinventum. Exeuntibus latus claudendum fuit Magnifico Juliano Papæ fratri, cujus quantacunque dignitas fuiſſe dicenda ſit, Magnifici titulum non excedit: cum tamen hoc loco & iſto nomine ſe jactet adverſarius, quod cum cæteris legatis tributum fuerit Magnifici epitheton, Sabaudus titulo Illuſtris fuerit mactus. Ergo Illuſtres deceſſerunt Magnifico, eoque vana præcedens jactatio, vel potius quoties vocabulum Magnifici datur alicui quod ad Sabaudicum honorem pertineat, amplius eſt quam vocabulum Illuſtris, cum contra, minus. Dubium non eſt quin Pontifex & Concilium Magnificum Julianum potiorem habuerint Illuſtribus Sabaudicis, utpote quem medium inter eos ire juſſerit utrimque latus ejus claudentes:

nec

nec dubium eſt quin eidem Magnifico Juliano fuerit legatis Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, Principum decedendum, ita ut non modo non habuerint tertium locum Sabaudi, in quem Venetos hic noſter temere nimis quaſi voluit projectos; ſed inter ordinarios nullum niſi noviſſimum, inter extraordinarios haud alium quam quem agnoſcendum eſt qualis qualis fuerit, non tertio loco, ſed quarto, quinto, ſexto atque omnibus ordinariis inferiorem. Pariter quoque eo ipſo conficitur, quod ſolitos illos ordinariis habendos ipſi Sabaudi ut debitos illis judicarint, & reapſe ceſſerint: perinde ut jam ante Mantuano Concilio factitatum ſupra oſtendi: hæc tamen ſingula atque univerſa ipſam Rempubl. Venetorum cujuſcunque demum modi ſunt non attingunt, quæ ſuum ſemper tenore non interrupto gradum tutata eſt, ſibi conſtans, ſecura aliorum; quibuſcum componi ſe ut non ferat, ita nec æquum illius quæſitiſſimum jus illorum permiſtione turbari atque confundi. Noviſſimum deniq; quod ex ephemeridibus jam dictis adfert, anno cIↄ Iↄ xx. accidiſſe perhibetur. Verba Diarii ipſa adſcribere operæ pretium: *In die omnium defunctorum cum ſuperveniſſet novus Orator Sabaudiæ, qui ſemper fuit in lite ſuper præcedentia cum Oratore Ducis Venetiarum, & ne in præcedendo contenderent, ego feci quod Sabaudus portavit caudam Papæ in via. In*

Ca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Capella autem cum Orator Venetus ſtaret junctus cum Hiſpano non cedens illi, facta eſt rixa. Quod ego videns ſignificavi Papæ: qui à me petiit quid eſſet faciendum. Dixi, quod alias in ſimili caſu factum fuiſſet ſic, ut Papa illum Oratorem qui conqueritur vocet ad ſe & faciat eum eſſe cum adſiſtentibus in dextro latere ſolii cum Senatore pro actu illa & illa vice, & quod de cætero inhibeatur illis ut ſe convenientes alternis capellis, ne habeant ulterius litigare, quod Papæ placuit & mihi impoſuit ut exſequerer: quod & feci. Vocavi enim Sabaudum ad latus Papæ, & feci eum ſtare per totam miſſam. Hæc ille, quæ ſi recte atque ut decebat examinaſſet noſter, facile deprehendiſſet ſibi validiſſime obſtare. Ut enim ex ordine ſcripturæ liquet, locat Paris de Graſſis ea ſtatione Venetum Oratorem, quæ ipſum Hiſpano Oratori proxime jungat. Ergo cum eſſet in illo ipſo actu eoque in quaſi poſſeſſione loci ſui, querelam ei ſuſcitavit Sabaudus: ſed plane extra locum conſtitutus, quem Veneto interim, quaſi poſſeſſionem illius tuente ſibi arrogare ſatagebat: quod ſecundo notandum. Tertio dignum obſervatu, quod Veneto nequaquam cedere juſſo, ſed quaſi poſſeſſioni, ut dicebam, inhærenti, Sabaudo de altero loco proſpectum fuit, eoque minus honorato. At vero in ſacello ſive Capella, ut vocat Paris, locus Oratori Veneto ſuus manſit: & quamvis Pontifex ad concordiam eos ſit hortatus, ſervavit tamen eum ſibi,

bi,

bi, quem & hodieque ſervat. Quod veroſimile non eſt toleraturos fuiſſe Patres, aut praxin aut conſuetudinem pluſquam ſecularem approbaturos, niſi conſtaret quam juſta hac in re Venetorum ſit cauſa, quamque citra omne jus Sabaudi has turbas concieant. Ut contra certum eſt, Sabaudum quamvis omnia molientem nequaquam loci quem appetebat quaſi poſſeſſionem adeptum: ſed ex adverſo ſemet ipſum loco moveri paſſum, alioque conceſſiſſe, ita ut eo ipſo facto manifeſtum evaſerit, fruſtra eſſe ut controverſiam aliquam de loco in poſterum moveat, accedente præſertim omnium aularum & Dynaſtarum, Venetis Sabaudos in omnibus & per omnia poſthabentium, conſenſu, quid vero quod & ſuo? Eo enim noviſſime devenit, ut fateatur hanc litem ceſſaſſe ab eo tempore, quo Emanuel Philibertus à Patribus nomen filii divi Marci accepit. nempe inconveniens haberi non potuiſſe, filium matri decedere. Næ vero felicem præ cæteris Ducem Sabaudiæ, quem ut olim (ſi Diis placet) magnus Cæſar enixiſſimis precibus, ut Ducale nomen aſſumere dignaretur, rogare opus habuit (nec enim ad id nomen accipiendum, niſi Imperatoriis precibus permoveri ſe paſſus eſſet) ita tum quoque eadem ambire fuit neceſſe, ut nudus, inops, inermis, omnibus ditionibus ſpoliatus, rebus in extrema tegula

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

conſtitutis, Venetis conciliari ſe pateretur. Divi Marci filius factus, nomineque hoc admiſſo, contra abdicata dunxtaxat moleſta controverſiarum ſuper prælatione reciprocatione. Equidem

Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.

Sed quandoquidem hoc in campo exultare adverſario libet, agedum ipſum diploma adoptionis in filium Venetorum Patrum in lucem producat. Filius factus debitumque matri Reipublicæ honorem exhibiturus, ſiquidem deceſſit ei, ut hic rotundo ore fatetur adverſarius, cur nunc cedere detrectat? cur litem movet agitatq; Camarinam? Durat ei à Venetis collatus honos: durant inſignia in teſtimonium affectus & ad exornandum eum collata: cur obſequium filiale perierit? aut cur honoribus inſignem ſe ferre non deſiſtit is cui tamen omnis eum, à quo ornatus ſit, honore juſto proſequendi cura animo elapſa ſit? Adeo fragilis nimirum & fluxa eſt beneficiorum præſertim majorum recordatio, cum apud omnes, tum illos præſertim, qui voto cupiant, nihil magnum exſtare præter ſe ſolos, cæteros velut è ſublimi deſpecturi. Sed, inquit noſter, ſumma tamen ei fuit cautio, ut in omnibus pari cum Republica honore haberetur. Reſpondeo. N. S. probet hæc tam ἀσύςατα noſter; erit, opinor, quod ſudet. Hiſtoriæ ſunt in omnium manibus: illæ teſtimonium

nium perhibeant. Jam illud ridiculum quod tam ſollicitum in Philiberto Emanuele ſibi ſuæque dignitati cavendæ ſtudium oſtendit, & modeſtiam interim deprædicat, quaſi modeſtiæ Ducis id dandum quod potiores reveritus ſit: Oſtenderat jam tum Tridentino Concilio Venetorum Orator Bavaro proturbato, quo loco eſſet habenda, quam ſtationem ſibi tuendam haberet Reſpublica, & nequicquam atteſtanti & ceſſiſſe ſemper, ac cedere debuiſſe ac debere in poſterum cordate repoſuerat: Concilium ſecundum Venetos ſe explicarat, eoſque pari, quo coronata capita loco haberi debere declaraverat. Eis tum temporis hanc litem intentare nihil fuiſſet aliud quam ſuo ſibi jumento malum accerſere, crabrones irritare aut fumantes Urſi nares vellicare. Quod ego, ipſi adverſario notiſſimum, atque adeo hoc ipſo loco allegatum, nunc non urgeo. Porro rurſum exploratæ veritati vim affert, cum hinc Venetos animos ſuſtuliſſe dicit, ut deferri vellent ſibi, quę æqualitatem quę inter ipſos & Sabaudum erat egrederentur. Falſum eſt, erroneum eſt, mendacium eſt ullo ſeculo æquales fuiſſe aut habitos pro æqualibus Venetos & Sabaudum: nunquam pari dignitatis loco, gradu, prærogativa cenſiti ſunt. Talia effutit innumera, quæ utpote nullis argumentis munita rejeciſſe aut negaſſe ſufficit. Quale & illud quod ait Rempubli-

cam tum ſibi ſumpſiſſe audaciam, erexiſſe caput, & ea ſibi aſſeruiſſe, quæ ſalvis rebus Sabaudicis nunquam vindicare præſumeret. Æque frivolum quod ad acerbas Emanuelis Philiberti querimonias indoluiſſe Pontificem ait, utpote cui perſpectiſſima eſſet juſtitia cauſæ quam foveret, ideoque Brevi ſuo declaraſſe quanto apud ipſum æſtimio eſſet Regalis (ſic verba ſonant) Sabaudica domus. Breve hoc Pontificium velit eſſe ejus valentiæ, vt confirmet quæ in præcedentibus aſſeruit de Regalibus titulis in domo Sabaudica frequentiſſimis. Sed nimium indulget ſibi: nunquam Pontifex domum Sabaudicam Regalem vocavit, ut ipſe commemorat: nunquam Regiæ Celſitudinis, quem captat titulum, Duci elargitus eſt: immo vero Regiorum nulla mentio in illo brevi præter quod dicat Majores Ducis regia ſtirpe ortos. Origo vero hic ad rem ipſam nihil confert, præſertim longinqua. Servos omnes Regibus & vice verſa è ſervis Reges oriundos Philoſophus dixit. At ineptus ſit qui regiæ originis oblito principio revocato culmen regium vernilibus ſubſternat ſordibus, ſervos ad culmen regiæ Majeſtatis attollat. Regnum ſibi poſſideret, procul dubio Rex eſſet, Regiaque foret gens illa quam talis regni poſſeſſio, non aliam quam Regalem dici poſſe vel tacentibus cunctis clamaret. Sed ſi ſtandum hic Pontificis

tificis judicio, longe infra regiæ Majeſtatis auguſtum nomen, ubi ei de gente Sabaudica ſermo eſt, titulos habet, Nobiliſſimam & Clariſſimam familiam vocare contentus. At vero, inquit, declarat ibidem Pontifex, nolle ſe dignitati aut præcedentiis dicti Ducis præjudicium inferre. Eſto, nihil infertur inde quod attendi mereatur. Quam non habebat dignitatis prærogativam, verba iſta nequaquam contulere: quam habebat, eam in dubium vocare aliis contra haud nitentibus non erat illius, cujus eſt communem ſe omnibus parentem ferre. Rem ergo ille qualis erat in ambiguo relinquit, ſimplici declaratione facta, non eſſe ut Sabaudus quippiam ſibi præjudicii à Pontifice infligendum timeat. Agebat hoc Pontifex ut Sabaudo factum ſuum approbaret, quod Regali corona, quam ſuper gentilibus inſignibus (verba ſunt Pontificis) portare poſſet, Hetruriæ Ducem decoraſſet. Sane ſi modeſtiam veram, quam tantopere extollit in Emanuele Philiberto, prædicare voluiſſet adverſarius, ſubire poterat oculos exemplum Hetruſci Ducis, qui Rex à Pontifice vocatus, Regali corona inſignitus, Magnum Ducem Hetruriæ ſe uſque dici maluit. Quod multo equidem fuiſſet rectius quam per emendicata vitiataque ſuffragia lubricum Principis animum eo propellere, ut abſque Regni titulo, poſſeſſione, jure, abſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Dynaſtarum conſenſu, juſtave aliqua collatione illius, penes quem conferendi poteſtas, Regales titulos invadat, & ſemet ipſum beneficii ſui autorem ſibi, eundemque beneficiarium ferat, eorum quoque ingratiis, in quorum jus quæſitum involandum eſt, ut jus habere videatur. Recoquit tandem cramben ex ſubdititia relatione Lipomanni, qui doceat, Magnum Ducem Sereniſſimi & Celſitudinis titulum Sabaudis conferre ſueviſſe, cum tamen eum Sabaudus non niſi Excellentiæ titulo compellaret. Non repetam quæ ſuperius de tota hac relatione veriſſime diſſeruimus. Fieri forſan potuit, ut aliquis è gente Lipomanna Panegyricum Sabaudis Ducibus conſcripſerit, adeo omnia illa excedunt & ſupra fidem emicantia pingue illud & adulatorium genus ſapiunt, aut quo ſpecioſior impoſtura eſſet, nomen Oratoris Veneti quibuſcumque nugis commendandis præfigeretur. At genuinam eſſe hanc relationem quæ publica autoritate recepta, publice exhibita ſit, & in ſacris ſcriniis, ut omnia hujuſmodi authentica, aſſervetur, nullus unquam mortalium, ne id ſperet adverſarius, probabit, habuiſſet nos ſibi devinctiſſimos, maximoque inſuper ad eruendam veritatem compendio fuiſſet, ſi diem vel annum quîs iſta relatio facta Patribus auditaque, exprimere curæ habuiſſet. Interim

(fa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

(fateor candide) rem magnam præſtiterit adverſarius, hic ſi ſibi diſſimilis reperietur. Frontem ad os uſque perfrictam, mentem de ſtatu conturbatam oportuiſſet eſſe illi Legato Veneto, qui auguſtiſſimis Patribus incolumi Divo Marco & urbe ea retuliſſet, quæ privatim omnes falſa ſcirent (illud præcipue cogito quod inſertum eſt ſplendidæ huic relationi: neminem ſe parem iis temporibus Sabaudo tuliſſe, nedum anteferendum) ipſe profari contra Rempublicam ſuam illiuſque Majeſtatem, niſi proditor, contra communem uſum, niſi omnium rerum ignarus, contra omnis ævi aſſenſum, niſi inſanus, ut non debuerat, ita neque poterat.

CAP. XL.

Apoſtrophe adverſarii ad Italiæ Principes, ut ſecum in titulis Sereniſſ. Sabaudiæ Ducis augendis conſentiant, refutata.

HActenus audivimus de injuſto jure Sabaudiæ Ducis multis cum ſpleniis, fomentis & emplaſtris, ut vulnerata & occiſa cauſa aliquantum ſublevaretur, declamantem. Inſtat finis, nec capit ſe amplius male preſſus & ex abdito exæſtuans, ipſiſque medicamentis exulceratus ambitionis ardor: itaque ad pœne indignas tanto faſtigio ſpe aut cupidine majore preces indignatione miſtas prolabitur: Ducem Sabaudiæ pro modeſtia, comitate,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

humanitateque ſua omnibus Italiæ Principibus non modo haud gravatim, ſed vere benigne titulorum quos habere potuerint maximos detuliſſe; etiam novos illos & præteritis temporibus aſſuetos: parem humanitatem ab ipſis circa Regales quos obtendit merito Ducem ſperare. Quorum exemplum ſcilicet ipſe in libri ſui inſcriptione præivit, ubi gravis novitatum reprehenſor, & unicus admirator veterum non potuit ab inſigni novitate abſtinere. Hoc eſt, ut cum Ducem, Comitem & reliqua ſolita cognomenta Sabaudi enarraſſet, ſerus tandem tarduſque venit, & agmen cogit Rex Cypri. Hoc nimirum eſt cum diariis convivas tuos exſaturaveris, apponere aſellum, aut aculeum, vel gemmas ad caudam religare. Niſi vir ingenioſus & multarum fictionum hoc ipſo monere nos voluit, Majores Ducis Sabaudi, cum ex more poſt varias appellationes, nequid omitterent Et cætera titulis irent adjectum, ſub hac formula, qui nunc ſed ultimo exprimitur, Regem Cypri abſcondiſſe & intelligentiæ ſervaſſe. Quo quid elegantius, mirabilius (pœne etiam dixeram, magis novum: ſed quæ Dux Sabaudus novat, Monodus grato glaucomate oculis objecto antiqua aſpicit) poſſit excogitari. Abeant igitur homines jejuni, quos quæ in inventute male didicerunt, ſenes dediſcere pudet: & exiſtiment à potiore non modo fieri, ſed etiam incipere deno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

denominationes. Vicit eos ſapientia noſtri, ex cujus diſciplina lepidiſſima conſuetudo inducetur, ut poſt hac qui Cæſaris titulos enumerabit, primo ponat Comitem Tyroli, Ducem Burgundiæ, &c. Archiducem Auſtriæ, tandem Regem Hungariæ, Bohemiæ, &c. ſero autem ultimoque Cæſarem: qui Regis Hiſpaniarum, etiam Comitem primo vel Ducem, & denique poſt cæteras illas ambages Regem Hiſpaniarum. Sed amoto ludo an non injurius eſt graviter in Ducem ſuum, quem ex titulato, juſto, indubio poſſeſſore facit nihil præter hæc titulorum inania cauponantem, idque non tam pro jure quam pro mercede, hoc eſt humanitate quæ fingitur mutua? Iniquum quoque eundem titulorum arbitrum conſtituit, perinde ac ſi aliis quæ jure debentur, ab hujus delatione capiant augmentum, itaque ut auctos obſtringant, ut ſimili congiario ipſum mactare teneantur. Deſiderium præſtolantis humanitatem ſimilem nullum præſtat argumentum juris ſibi competentis. Si jure Principibus tribuit titulos, fruſtra ſperat redhoſtimentum aut retributionem, fruſtra deberi eam ſibi contendit, quippe quod citra injuriam omittere non poterat. Si injuria, non omnes ita ſunt imprudentes ut labra ſibi lini patiantur & palpum reddere velint; non poteſt autem hoc precio quicquam ab ullo qui illudi nolit, repoſci.

Tragicæ iſtæ exclamationes, quibus turget, eo omnes recidunt, ut velit doceri, quo minus quod cæteris acceſſit, accedere etiam debeat Sabaudo Duci. Nullo negocio reſpondebo, eos ad quorum dignitates acceſſio facta eſt, non id ſibi, ſed acceptum ferre ſe ſuperioribus: eoque par fuiſſe, ut pro ratione majoris dignitatis ipſorum quoque titulorum amplitudo intenderetur atque augeretur. Hoc vero de Sabaudo affirmari non poſſe, dictum jam pluries. Qui non à ſuperiore id conſecuti ſunt, & tamen auguſtioribus titulis compellantur, non id juris tenent beneficium ſed blanditias adulantium. Quod ſi in ſe quale eſt ſpectetur, fulminet illud Pauli J. C^ti. *Quod contra rationem juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentias.* Flagellet illud Celſi: *Quod non ratione introductum eſt, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtentum eſt, in aliis ſimilibus non obtinet.* Vinceret quippe rationem conſuetudo, vinceretur jus ab errore: quod ut ne fiat, è publico humani generis bono eſt. At infit ille, non petit quid ſibi immenſum Dux Sabaudiæ, ſed quod inſtituta comparatione cum cæteris, & attenta proportionis ratione omnium negari non debeat, nedum id vindicanti obſtaculum poni. Fateor ſi dignitatum augmenta, ab eo legitime conſequi conaretur, cujus eſt in iis liberum arbitrium & poteſtas abſoluta (modo ne in alteri quæſitum jus

com-

committatur) neminem mortalium eo nomine ſibi adverſum experiretur. Secus dum agit & à ſe auſpicia petit earum quarum ipſi copia non eſt rerum, ut cunctos invidioſe ſibi poſt ponat, mirum non eſt ſi apud omnes invidia laboret, & neminem inveniat auſis ſuis applauſorem. Ita non modo Regalis Celſitudinis genericum aſſumpſit titulum, ſed ſpecialem Regis Cypri: quod regnum tamen nunquam in ditione ejus aut ſpe fuit, ut multis exſecutus ſum, nec eſſe potuit ex illo capite, unde juris ſui originem nequicquam derivari voluit, idque in præjudicium tertii, Venetorum, quorum indubitatum & luce meridana clarius jus eſt. Quibus ſemel æquari ſi poſſe ſe ſperet, nihil morabitur quin progreſſus ulterius è veſtigio quoque ſe contendat ſuperiorem. Non poſſunt illa, quę tertio nocitura, eumque iniq; læſura ſunt, æquis oculis tranſmitti. Si inſignibus ſuis Coronam voluiſſet appictam, cum Rex non eſſet neque Regium haberet, præteriiſſent id forte alii, alii vanitatem riſiſſent: ſed ex corona inſignibus addita ad Regnum ipſum, ad Regni jus, Regis nomen, Majeſtaſtatem, titulos veris legitimiſque Dominis & ſe multis nominibus potioribus ignominia affectis & diſpretis viam affectare, ferendum non eſt. Quare valde vereor ne male auſpicato adverſarius iſtam ſive denunciationem ſive preces fecerit Italiæ Principibus; præſertim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

illis, quorum in hoc opere ſuo dignitatem vel maligne detrahendo, vel inique cum Duce Sabaudo comparando multifariam imminuere velle ſuſtinuit.

CAP. XLI.

Nova adverſarii malignitas in Principes Italos. Sfortia Romano Imperio exemptus. Honores à Cæſare Sabaudo collati nulla re æquant eum Reipublicæ. Alius Reipub. Venetæ, alius Ducis reſpectus. Cyprus Venetorum, rumpantur ut ilia Monodo. Cretæ magnitudo ac inepta exinde Imperii Veneti cum Ducatu Sabaudo contentio.

IN ſerio metu credo fuit adverſarius, qui paſſim corpus hoc libri ſui immanibus impudentiæ & αὐθαδείας notis aſperſiſſet, eoque non tam ſe quam Ducem Sabaudiæ, cujus authoritate ſe ſcripſiſſe profitetur, commaculaſſet, ne in fine deficeret, & minus oris improbi, minus animi inverecundi habere videretur. Id quod parate & data opera caviſſe eum documento eſt, quod cum precibus pœne & ſuppliciis aucupetur gratiam Italiæ Principum, ut illos tantopere ſititos Regios titulos Duci Sabaudiæ non invideant, vix iis finitis indigna in eoſdem Principes jaculatur probra: prorſus quaſi omnes Principes ſe conſecraſſent ac devoviſſent, ut cum Sabaudum quæcunque vellet dicentem facientem tuliſſent, ipſi tanquam Satellites ſtarent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

rent ad lubitum ejus, nec quicquam agerent dicerentve, niſi quod ſuam Serenitatem demulceret. Niſi mihi ſemel conſtitutum eſſet hanc oppellam ſumere Sereniſſ. Reipub. Venetæ, quæ cæteris injuriæ factæ ſunt, eas relinquere ipſis, neque huic aliorum cauſas intermiſcere, abunde domi eſſet, quo iſtam petulantiam coërcerem. Nam ſi vere novata ab illis ſine contumeliis recenſeret, poſſet aliqua excuſari ratione, qui ab illis facta ita conſtiparet & undique prompta ac corraſa Duci ſuo proponeret, ut novitia hæc titulorum invaſio non ſine exemplo eſſe probaretur; ſed malitioſe traduci illos, quorum exempla ut laudabilia imitanda Duci enumerat, quis tam ferreus aut lapideus eſt ut patiatur? Sed videbunt illi quid ſua interſit laſciviam hanc retundi. De uno dicam Mediolanenſi Principe, cui primum inter novatores poſt Venetos locum attribuit. At non poteſt ignorare Ducem Mediolanenſem ſemper Sabaudo anteriorem habitum, neque unquam ei deceſſiſſe: & ut ignorare velit, convincant eum eædem illæ ephemerides, quas hucuſque pro ſe adducit: convincat conſcientia univerſi, aliis ſcriptis ſatis prodita. Jam tum antequam Sabaudus à Sigiſmundo Dux ſalutari cœpit, clarum erat Mediolanenſium nomen Ducum, clara libertas, & ab Imperio exemptio. Teſtatur id ipſum abdicationis inſtrumentum,

quo

quo Electores inter cætera adverſus Wenceſlaum in hæc verba erumpunt: *Mutilaſti Imperium Mediolano & Provincia Longobardiæ, quæ S. R. I. fuerat, redeuntibus inde ad imperium ampliſſimis emolumentis, in qua ditione Mediolanenſis veluti miniſter ſacri Imperii partibus fungebatur: cum tu contra quam tuam dignitatem & ſublimitatem decebat, accepta pecunia Mediolani Ducem & Comitem Papienſem creaſti &c.* At ex adverſo Sabaudus de ſe nihil niſi vana nomina eructat, cum velut in manipulum coacta Excellentiâ ſuâ, ſeſe majoribus celeberrimum, Europæorum Regum affinitate & ſanguine clariſſimum, Sacri Imperii Principem Vicariumque in Italia perpetuum à Saxonum ſtirpe ducere originem, amplæ ditionis in Italia diu ante Hiſpanorum adventum clavum adminiſtraſſe prædicat. Quæ tamen nihil ſpirant liberum, nihil ſui juris, nihil dignum vera Majeſtate, quæ nullius niſi Dei vicaria eſt, tantoque potiorem Sabaudo Mediolanenſem ſtatuunt, quanto obnoxiæ conditionis homini liber anteſtat. Ipſe Sabaudo addictiſſimus Menochius non modo Vicarium Imperii fatetur atque recognoſcentem pro Domino Imperatorem, ſed & titulorum has inflatas bullas moderatione temperandas exemplo ſuo nos docet. Ait Conſ. 2. nu. 10. *Quod ſcripſi Ducem Sabaudiæ Sereniſſ. ſe Dei gratia Ducem ſcribere, non alia ratione contingit, quam ut prudenter oſtendat jam amiſſum*

domi-

dominium Dei gratia fuiſſe aſſecutum. Poſt quæ verba immediate de Mediolanenſi ait Menochius, *eum in ſuo Ducatu Imperatorem non recognoſcere, vel verius, jura Imperii in ſuo Ducatu habere,* quod & autoritatibus confirmat. Pudeat ergo adverſarium Sfortiæ obſcuros natales & avum cerdonem objicere. At extulit illum ſua virtus, dehinc nemini certe Sabaudorum poſtponi paſſa ſunt jura Imperii abſoluta, quæ natales non requirunt ſed faciunt. At non vidit adverſarius Duci ſuo in jactatis illis nobiliſſimis natalibus, objici poſſe continuam ſervitutis & obnoxiæ conditionis notam, quæ apud generoſos animos quibuſcunque natalibus, quos ſupergreſſa virtus non excuſat tantum, ſed & favorem habet, longe fœdior habetur. Et tamen ſi Rex natus eſſet Sabaudus, ſi ſententia directi Domini, cujus in abſoluta poteſtate regni conceſſionem fuiſſe ipſe olim agnovit, declaratus; neque Veneti, neque quiſquam honoribus ejus detraheret. Exemplis vero confirmare velle novum, & abſurdum inceptum, quod inauditum eſt, cujus exemplum nunquam poſt Imperia & Principatus ortos exſtitit, & exempla ea inæqualia tanquam colorem ambitioni ſuæ induere cum ignominia eorum, quos imiteris, audaciæ extremæ & impatibilis eſt. Jam ad Venetos. Ab his non oblviſci poſſumus, ut non invitus fecit adverſarius, quantis molitionibus labo-

laboratum ſit, ut Celſitudinis titulum auferret, quod dum faciebat, inſcitus ſit ſane, qui à pari aut æquali id efflagitatum contendat, æque ac qui neget ejuſmodi cum effectu non aliunde quam à potentioribus deferri. Meminiſſe etiam decet, quoniam ex titulis ſe metitur Sabaudus, alios ſemper ipſum Reipublicæ dediſſe ante hac, alios ab ea conſecutum. Sereniſſimam ſemper appellavit Rempublicam: at eidem gratias egiſſe ſe non diffitebitur, cum ab ea titulo Illuſtriſſimi eſſet honoratus. Norunt omnes quæ Reipublicæ gravitas, quæ conſtantia ſit in titulis qua ſuis tuendis, qua tribuendis alienis: utque in illis non quid videri poſſit, ſed quid re vera ſit, ſemper curaverit. Jam ſatis quoque confutatum reor, quod honores ab Imperatoribus Sabaudo miniſtro, ut loquuntur in citata abdicatione Electores, conceſſos comparare audet cum Majeſtate Veneta. Eſt enim puerile, & ſummæ politicæ diſciplinæ ignorantiæ indicium. Solennia, errat quoque cum ipſum Reipublicæ corpus, quo tota ejus Majeſtas conſtat, continetur, abſolvitur, à Duce non diſtinguit. Pone Ducem Venetiarum ut Ducem æquari forſan debere, quod non largior tamen: haud ſtatim dicendum eſt licere illam tot ſeculorum Majeſtatem Venetorum cum Sabaudo Duce componi ut parem. Privatim Veneto Duci honores non tribui nimios verum ſit forſan: at ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ubi Rempubl. ipſam refert, ſummis Monarchis inferiores citra injuriam decerni illi non poſſint. Quanta vero Sabaudo Duci attribuuntur, intra Ducis dignitatem ſtabunt, & Ducis Imperio majori ſubditi: eaque propter regalia ad ejus ſtatum & conditionem demitti ſe nolent. Unde vero imaginem liberaliſſimi, ſed fatui, promiſſoris, qui cum ad novitatem inauditam Ducem ſuum exſtimulet, omnium omnino atq; ab omnibus aſſenſum atq; applauſum illico ceu vectigalem ei ſpondeat, & præſertim Venetorum. Si Dux Sabaudiæ ſuetam non excedit, injurii procul dubio Veneti ſint ſueta negantes: Sin affectat inſolita, nullo jure ſubnixa, in ipſorum detrimentum iniquiſſime caſura, quid ſe torquet aut in vanum fatigat? Stolidæ perſuaſionis eſt, cui ſua invito atq; ingratiis & nullo jure ereptum eas, ab illo, niſi ipſe ſit cerritus & agnatis atque gentibus commendandus, expectare ut applaudat, & ut acclamet Bonum factum, flagitare. Eſt Reſp. Veneta (Othomannicam vim excludo) Rex Cypri: illius Regni jura Venetorum ſunt: at quę verò jura? Quid non niſi rempublicam tantam ab ejus quoque Regni acceſſione jam tum Reginam, Regibus æquantia. Aliena hæc non poteſt ſimul invadere Sabaudus, ſimul autem invaſionis præmium ab illis, in quorum teſtatiſſimum jus auſu prorſus nefario involabit, poſcere & referre. Ornent

igitur

igitur Sabaudum honoribus quantis bene placuerit Imperator, Reges, Principes: nihil ei acceſſerit in Venetorum præjudicium: omnia concurrant & ſuccenturientur: ſemel quæſito juri ne ramentum deteretur, neque id, quod nuſquam eſt, ulla bractea erit auctius. Quod vero ait Venetos novitatis notari haud voluiſſe, cum conum Ducalem cum corona Regia permutarint, occaſione tituli Cardinalibus tributi, imprudens verum dicit. Ipſam rei veritatem etiam ſuo loco excuſſi. Reſpublica Veneta Regina eſt ſuæ libertatis Regnorumque quibus abſolute dominatur. Jure ſuo qui utitur, nemini injuriam infligit. Inſignia Regni admittere, repudiare, ſibi habere velle aut nolle, in eo qui Regnum habet facultatis eſt. Pone non uſam: quis juſſiſſet uti debere? pone uti, quibus ante noluerat, nunc demum velle: quis intercedat, aut velut inſolentem & nova indebitave occupantem traducat? At ex adverſo ſi Sabaudo hæc applicentur, nihil erit citius quam ut temerariæ & injuſtæ uſurpationis validiſſime convincatur. Arguit porro qua livorem, qua vanitatem noſtri hominis. Quod Cretæ, imperium penes Venetos, Regni nomen detrahere, éque collatione ditionum Sabaudicarum cum Cretenſibus facta magnitudinem Ducis ſui depreſſis Venetis oſtentare conatur. Cretam Regnum fuiſſe & eſſe nemo negabit unquam, niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

niſi Hiſtoriarum cum infantibus imperitus. Minos illius Rex eam jam tum fabuloſo illo ſeculo, cum longe etiam Saxonicæ origines, Jovis incunabulis inclytam, ſuum orbem vocavit, ejuſq; viribus ἐθαλαττοκράτησεν ingentem ſemper Græciæ partem conſtituit, centum urbibus nobilitate, eoque ἑκατόμπολις dicta, cuncto imminens mari, cui à Septentrione Ægæo & Cretico, à meridie Libyco, quod Ægypto contiguum eſt, alluitur ad ducentorum ſeptuaginta millium longitudinem exporrecta, quinquaginta millium latitudinem habens, clara navibus, ſagittis, equitatu, literis, Muſica cæteriſque quæ apud mortales in pretio. Qui eam μακάρων νῆσον appellatam recordatur, non accedet tam abjecte de hoc regno loquenti. Quamquam neque opus eſt hujus refutatione. Dominus jam ante regnorum magnitudinem, aut anguſtias nihil ad eſſentiam Majeſtatis conferre. Interim ſi ditionum Venetarum magnitudinem & præſtantiam ad Sabaudicas contendere geſtiebat, non quantulamcunque portiunculam Imperii Veneti arripere debuerat, ſed totum Imperium Venetum in conſpectum ponere, qua late terra marique dominatur. Cæterum cavit ſibi ab eo, & quidem prudenter. Riderent omnes muſcam elephanto comparantem. Quod ait Cyprii Regni intuitu diadema vindicare ſibi non poſſe Venetos, idque manife-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

ſtum eſſe ex iis, quæ huc uſque diſputavit, ei nos ſic contradicimus: Cyprii Regni diadema nulli alii ſub cœlo quam Venetis deberi, idque cum compertiſſimum eſſe, tum ſatis maſcule à nobis non propter noſtri aliquam ingenii vim, ſed propter explicatam rationem cauſæ ſupra à nobis defenſum. Quæ vero de prono Sabaudorum Ducum in Venetos affectu large prædicat, eorum Sereniſſima Reſpublica gratiam illi facit, nec nos adeo, quod facillimum foret, ea ſuperſtitioſe aut nimis attente ſpeculabimur. Mallet Sereniſſ. Reſpublica affectum Sabaudorum Ducum in ſe minus eſſe ambitione mixtum vel vitiatum potius. Interim ciccum haud interduit Sereniſſ. Reſpublica, quod Sabaudi Duces haberi ſe velint, aut quibus ſomniis ab Adulatorum cohorte oblectari ſe patiantur: videre ipſos ac judicare permittit, uter illudat, uter ludibrium debeat, cum Modeſtia appellatur Coronam Regiam inſignibus induere, inſignia adſcitis illis, quorum nec poteſtas eſt, nec à majoribus demiſſa conſuetudo, mutare ac frangere potius & debilitare, quam exornare: Regium nomen & titulos, nullius à quibus hæc expectari decet, ſuffragio, privata autoritate aſſumere, & plura facere ejuſmodi, nec gravitati virili nec iis, quos majorum ſuorum & moris antiqui non pudet, convenient. Sereniſſima Reſpublica Majeſtatis ſuæ gnara, tum jurium

&

& animis & viribus aſſerendorum potens, nunquam eo adducetur, ut non ſumat ſuperbiam quæſitam meritis, & apud veros rerum æſtimatores tot ſeculorum lapſu omnium magnarum poteſtatum agnitione coalitam atque firmatam gloriam iſtiuſmodi aut ambitu aut vanis cogitationibus comparari indignis, aut vileſcere poſſe vereatur.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
343 G 17